F. JOSEPHI AUGUSTINI
ORSI

ORDINIS PRAEDICATORUM

SAC. INDICIS CONGREGATIONIS A SECRETIS, DEIN SAC. PAL. AP. MAGISTRI ET S. R. E. CARDINALIS

D E

ROMANI PONTIFICIS

IN SYNODOS OECUMENICAS ET EARUM CANONES POTESTATE

PARS SECUNDA.

ACCEDIT DISSERTATIO, QUA ECCLESIASTICAE MONARCHIAE FORMA EXPLICATUR.



ROMAE, MDCCLXXII.

TYPIS PAULI JUNCHI, PROVISORIS LIBROR. BIBLIOTHECAE VATICANAE.

Sumptibus Natalis, & Caroli Barbiellini Bibliopol. in Foro Pasquini.

SUPERIORUM FACULTATE.

LIBER SEXTUS,

Quo Meldensis Episcopi *Liber Decimus, de Basileensi, aliisque* [*f.* ejusdem] *saeculi Synodis, quibus Constantiensia Decreta confirmantur*.

,, Ad Caput Secundum Declarationis Gallicanae

Examinatur & confutatur.

CAPUT PRIMUM.

,, Duo dissidia Basileensia distinguuntur: Res in primo dissidio gestae. 1

ARTICULUS PRIMUS.

Penes Romanos Pontifices jus & potestas est ad Synodos Oecumenicas de loco in locum, ipsis etiam invitis ac repugnantibus, transferendas, aut etiam penitus dissolvendas. 4

ARTICULUS II.

Eugenius IV. legitimis justisque rationibus permotus, Basileensem Synodum Bononiam transferre decrevit. 11

ARTICULUS III.

De veris ac genuinis Eugenii IV. & Sedis Apostolicae sensibus statuendum non est ex iis, quae Eugenio per vim extorta fuerunt, sed ex iis quae ante & post initam pacem sponte ac libere & ex animo pronuntiavit. 18

CAPUT II. &c.

,, Ex antedictis Constantiensia Dogmata confirmantur. 23

ARTICULUS UNICUS.

Quamquam Eugenius IV. Basileensi Synodo adhaesit, eamque velut jure ac legitime propagatam haberi voluit: non tamen ejus Decreta, eisque inserta Constantiensis Synodi Constituta, Apostolica auctoritate firmavit. 24

CAPUT V.

,, De secundo Basileensi dissidio: Quid ab initio reconciliatae gratiae usque ad secundi dissidii initium a Synodo gestum sit per biennium. 29

CAPUT VI.

,, Quid per idem tempus ab Eugenio Quarto sit gestum. 30

CAPUT VII.

,, Dissidii causa ex Gestis: Quaestio proponitur, An Constantiensia Decreta revocata in dubium. 35

CAPUT VIII.

,, Ex Actis probatur, priora Basileensia, quibus Constantiensia confirmantur, integra auctoritate esse. 36

ARTICULUS PRIMUS.

Synodus, cui Sedis Apostolicae Legati sine auctoritate & jurisdictione praefuerunt, pro vero, genuino & generali Concilio haberi non potest; nec ejus Decreta velut ab Oecumenica & legitima Synodo edita, unquam Eugenius adprobavit. ibid.

ARTICULUS II.

Constantiensia, eisque connexa Basileensium Decreta, intercedentibus ac repu-

repugnantibus Sedis Apostolicae Legatis, in medium adlata aut edita sunt: quibus proinde vel ab initio nulla auctoritas constitit: neque convalescere potuerunt absque Pontificis adprobatione, quam illis nunquam Eugenius adhibuit. 44

ARTICULUS III.

Eugenius IV. quod initio voluerat, Synodum Ferrariam transferendo, reapse pervicit obtinuitque: Illustrior autem Basileensium portio Synodi translationi consentiendo, priora Gesta facto ipso reprobavit. 50

CAPUT IX.

„ Decretalis, Moyses, in Synodo Florentina edita, priora Basileensia „ & Constantiensia Decreta firmat. 54

ARTICULUS UNICUS.

Eugenius IV. in Synodo Florentina non modo Constantiensia Decreta non adprobavit, verum & ea, quod ad substantiam dogmatis pertinet, expresse damnavit. 55

CAPUT X.

„ An Decretum Unionis Florentiae „ editum Constantiensia Decreta „ antiquarit. 62

CAPUT XI.

„ De vero sensu eorum verborum „ Decreti Unionis: Quemadmodum etiam in Gestis Oecumenicorum Conciliorum continetur. 64

ARTICULUS UNICUS.

Postrema illa Florentini Decreti verba: Quemadmodum etiam, vel, Et &c. quae Graecis examussim respondent, eum tantum sensum admittunt, quem nos illis tribuimus: frustraque Bossuetius & alii ipsa rerum gestarum verborumque serie in alium ea sensum detorquere conantur. ibid.

CAPUT XII. &c.

„ An Constantiensibus Decretis & Conciliari potestati noceat, quod Ecclesiae pars maxima, ac praesertim Galli Eugenio Basileae damnato ac deposito obedirent? 80

ARTICULUS PRIMUS.

Eugenius IV. Synodum Basilea Ferrariam primum, deinde Florentiam, jure ac legitime transtulit. 81

ARTICULUS II.

Synodus Florentina non solum legitima, verum & Oecumenica fuit. 84

ARTICULUS III.

Synodus Basileensis post translationem illegitimum & schismaticum conventiculum fuit. 85

ARTICULUS IV.

Eugenii IV. per Pseudo Synodum Basileensem exauctoratio, tanquam schismaticum & sacrilegum facinus habenda est. 87

ARTICULUS V.

De Felicis V. in Eugenii locum subrogatione, idem ac de ipsius Eugenii ejectione, ferendum judicium est. 89

ARTICULUS VI.

Quod Basileenses, quum pax inita est, neque ut schismatici habiti, neque schismaticorum poenis affecti sunt, mera Nicolai V. & Sedis Apostolicae indulgentia fuit. 92

ARTICULUS VII.

Eorum, qui post translationem Basileensibus quocunque modo adhaeserunt, aut nec illis nec Eugenio obediendum existimarunt, nulla in hac caussa ratio habenda est, omnemque illis auctoritatem merito abrogamus. 99

ARTICULUS VIII.

In Pseudo Synodo Basileensi cernere apertissime est, quam perniciosa & infe-

infesta Ecclesiasticae paci & unitati sint Constantiensia Sessionis V. Decreta, nisi ad tempus schismatis & dubiorum Pontificum referantur. 101

CAPUT XVII.

„ Bulla retractationis Pii II. ad Colonienſium Academiam, Constantienſia Decreta firmat, Basileenſia tantum posteriora damnat. 106

CAPUT XVIII.

„ An Lateranenſi Synodo ſub Leone X. Constantienſia Decreta abrogentur: Quantis auctoritatibus haec firma ſint. Cur Patres Gallicani priora Baſileenſia Geſta in declaratione ſua exprimenda non putaverint. 108

CAPUT XIX.

„ An Constantienſibus Decretis nixa ſententia ad fidem Catholicam pertineat. 112

CAPUT XX.

„ An ea, quam vocant, Pariſienſium ſententia occaſione ſchiſmatis exorta ſit. Cenſura lata in Johannem de Monteſono anno 1387. ibid.

CAPUT XXI. &c.

„ Facultatis articuli adverſus Johannem Sarrazini Praedicatorem paulo poſt Constantienſe Concilium, ac Martino V. ſedente. 113

CAPUT XXVIII.

„ An ſententia de potiore Concilii poteſtate Regum juribus ac poteſtati noceat. Thomae Corcellaei reſponſum: Propoſitio Johannis Huſſi (*leg. Wicleff*) in Constantienſi Concilio condemnata. 118



LI-

LIBER SEPTIMUS,

Quo Meldensis Episcopi Liber Undecimus. De Pontificiae Potestatis usu per Canones moderando,

„ Ad Caput Tertium Gallicanae Declarationis *Examinatur, & confutatur.*

CAPUT PRIMUM.

„ REfertur Caput Tertium hujus declarationis. pag. 120

DISSERTATIO

Qua Ecclesiasticae Monarchiae forma seu ratio explicatur. 121

CAPUT PRIMUM.

VErae, propriae & perfectae Monarchiae ratio in eo posita est, ut non modo singula Reipublicae membra, verum & universa Respublica ab uno pendeat, eique omnino subjiciatur: Talem esse Romani Pontificis Monarchiam, eadem argumenta suadent, quibus Adversarii probant, fuisse a Christo in Ecclesia Monarchicum regimen institutum. 122

CAPUT II.

Ex Adversariorum hypothesi consequens est, Ecclesiae regimen vere ac proprie neque Monarchicum, neque Aristocraticum esse; sed Ecclesiam speciem esse Reipublicae irregularis; cujusmodi fere, ex quorumdam Scriptorum sententia, Imperium Germanicum est; cujus systematis sive opinionis absurditas pluribus demonstratur. 131

CAPUT III.

Ecclesiae traditione probatur, praecipua Majestatis jura, quae in qualibet regulari & bene instituta Republica summo Imperanti summaeve Potestati tribuuntur, Romano Pontifici in Christiana Republica convenire. Unde conficitur, ad verae propriaeque Monarchiae formam Ecclesiam esse constitutam. 142

CAPUT IV.

Romanorum Pontificum imperium non eo summum non est & ἀνυπεύθυνον, nec eorum potestas Conciliorum generalium auctoritate deterior habenda est; propterea quod boni sanctique Pontifices, se se ad Canonum legumque praescriptum Ecclesiam

ftam Dei recturos, profiteantur. 155

CAPUT V.

Quamquam Ecclesiae per Romanos Pontifices gubernationem ad certarum legum praescriptum & amussim exigendam esse diceremus; non inde tamen consequens esset, summam non esse & in Ecclesia, & super Ecclesiam eorumdem Romanorum Pontificum potestatem. 164

CAPUT VI.

Utrum Romani Pontificis Monarchia sit humanis legibus absoluta, vel eisdem circumscripta. 171

CAPUT II.

„ Exponitur tertium Caput Gallica-
„ nae Declarationis hujusque duae
„ partes: id probandum suscipitur,
„ Ecclesiasticam disciplinam, sive
„ universam sive particulares spe-
„ ctet Ecclesias in Romano Ponti-
„ fice regi adhibitis regulis, sive
„ universim sive particulatim re-
„ ceptis. 180

CAPUT III.

„ Ecclesia Romana iisdem Canonibus
„ regit Ecclesias, quibus ipsa
„ regitur. Probatur ex Romanis
„ Pontificibus. 181

CAPUT IV. &c.

„ Idem probatur ex Gestis sub Boni-
„ facio II. & ex Concilio Roma-
„ no sub Johanne IX. de Tran-
„ slationibus. 182

CAPUT VII.

„ Concilium Mosomense: Rodulphi
„ Glabri locus: Concilium Ansa-
„ num: de eo Anonymi respon-
„ siones. De exemptionibus obi-
„ ter: Petri Venerabilis & S. Ber-
„ nardi loci. An Monachis Clu-
„ niacensibus profuerit, quod Ro-
„ manum Pontificem peculiarem
„ Episcopum habere vellent. ibid.

CAPUT VIII.

„ Concilium Lemovicense II. Gre-
„ gorius VII. Romanorum Pon-
„ tificum & Episcoporum concors
„ professio de regendo & obedien-
„ do secundum Canones. 190

CAPUT IX.

„ Libertas in jure antiquo & com-
„ muni: Pragmatica sanctio S. Lu-
„ dovici an ab Anonymo idoneis
„ probationibus falsi arguatur? 191

CAPUT X.

„ Edictum Caroli VI. Decretum
„ Florentinum: Nulla sunt quae
„ contra Canones: Romanus Pon-
„ tifex contra Canones agere nol-
„ le praesumitur, ne ipse adver-
„ setur sibi: Locus insignis Con-
„ cilii Basileensis. 194

CAPUT XI. &c.

„ De Decretalibus Epistolis, deque
„ consuetudine recepta, & Cano-
„ num origine. ibid.

CAPUT XIV.

„ Ecclesia Gallicana antiquam &
„ sanctam sub Aurelio & Augu-
„ stino Africanam Ecclesiam sequi-
„ tur: Christiani Lupi hallucinatio-
„ nes: Summa doctrinae nostrae
„ de Libertatibus. 195

ARTICULUS UNICUS.

Romani Pontifices tum jure Primatus sui, tum vi consuetudinis & Canonum Nicaenorum seu potius Sardicensium, appellationes Episcoporum, & aliquando etiam inferioris ordinis Clericorum, undecumque, ac speciatim ex Africa, ad Sedem Apostolicam delatas susceperunt olim & judicarunt: Africani autem Episcopi eis modum aliquem imponi, suis ad Caelestinum litteris petierunt. ibid.

CA-

CAPUT XV.

„ Libertates quo sensu privilegia dicantur, nempe ut jura antiqua libertatum radix. An Petrus de Marca audiendus, qui Conciliorum superiorem potestatem a Libertatibus separat? 204

CAPUT XVI. &c.


„ Haec doctrina non obest dispensationibus Apostolicae Sedis: Concilii Basileensis locus: Gersonis doctrina a Sancto Bernardo ducta. ibid.

CAPUT XX. &c.

„ An Auctor Anonymus tractatus de Libertatibus ad tertiam propositionem Declarationis Gallicanae rectum aliquid aut ad rem dixerit. 205



LIBER



LIBER SEXTUS
QUO
MELDENSIS EPISCOPI
LIBER DECIMUS.

De Basileensi, aliisque (f. ejusdem) *saeculi Synodis, quibus Constantiensia Decreta confirmantur.*

„ Ad Caput Secundum Declarationis Gallicanae,

Examinatur, & confutatur.

CAPUT PRIMUM.

„ Duo dissidia Basileensia distinguun-
„ tur: Res in primo dissidio ge-
„ stae.



Gallicanae Declarationis Propugnatores nulla se se alia re magis efferre solent, quam Synodi Basileensis auctoritate; quae nimirum Constantiensia de summa & ineluctabili generalium Conciliorum potestate Decreta clare ac dilucide exposuerit, solide & invicte firmaverit, atque identidem usurpaverit ad certum sibi unicum & legitimum Pontificem subjiciendum. Quamobrem si qua de Patrum Constantiensium mente, si qua de priorum illius Concilii Sessionum auctoritate supererat difficultas, per Synodum Basileensem, Adversariorum sententia, de medio sublata est: quum nemo ambigere possit, quin Constantiensia Decreta Basileenses de quibuscumque Romanis Pontificibus intellexerint; & Eugenius IV. eas Concilii Basileensis Sessiones, quibus illa Decreta repetita & firmata sunt, Apostolicis litteris adprobarit. Quum enim, inquit Illustrissimus Adversarius (a), iis litteris laudatus Pontifex a se antea tentatam Con-

(a) Cap. seq. in fin.

Concilii dissolutionem irritam declarabat, quum Synodi Acta, se etiam invito & reluctante confecta, rata & valida fuisse agnoscebat, quum supra se Concilii generalis potestatem extollebat; vel vera, vel falsa promebat. „ Si vera, stant plane Constantiensia „ Decreta, atque iis certa fides: „ stant adversus indubitatum Pontifi- „ cem: stat suprema Basileae agnita „ & exercita in indubitatum Pontifi- „ cem potestas. Si falsa promsit Eu- „ genius, jam Pontifex non tantum „ erraverit, verum etiam errorem „ firmaverit, eoque Decreto, quo „ nullum ritu solemniori promulgari „ possit, quippe quod fuerit in Oe- „ cumenica Synodo promulgatum, „ ac Synodi sententia roboratum. Unde colligit eruditissimus Praesul: „ Sic quidquid dixeris, vicimus, „ atque omnino res nostrae utrinque „ in tuto sunt. Ita illi certissimae sibi plenissimaeque victoriae in Synodi decretis tropaea & monumenta constituunt.

At rem serio cogitanti, & infinita mala per hanc Synodum in Ecclesiam invecta, ac turpissimum ejus exitum prae oculis habenti, nullum, mea quidem sententia, efficacius ac luculentius argumentum offerri potest traditae divinitus Romanis Pontificibus gubernandae Ecclesiae, & generalium Synodorum indicendarum, transferendarum, dissolvendarum & regendarum, plusquam Imperatoriae ac Monarchicae potestatis, quam quod ipsius Basileensis Concilii Acta suppeditant. Fortissimi Imperatoris invicta & insuperabilis virtus non tam victoriis demonstratur, quas de hostibus referat, quam cladibus, quibus ejus exercitus afficiantur, si alio duce cum hostibus congrediantur. Id enim manifestissimo argumento est, non multitudini militum, non eorum audaciae, sed Imperatoris militari prudentiae, virtuti vel fortunae tribuendas esse res fortiter, sapienter ac feliciter gestas. Sic prorsus, ex Romanis Pontificibus esse, quod adversus Ecclesiam portae inferi, hoc est pravorum dogmatum & scelerum vis, non praevaleant, non minus luculenter ostenditur ex cladibus, quibus vastatae sunt Synodi, quae illis invitis ac reluctantibus habitae sunt, quam ex earum palmis atque triumphis, quae sub eorumdem Romanorum Pontificum auspiciis adversus impietatem dimicarunt. S. Leonem in caussa Eutychetis supersedendum Concilio existimasse, in caussa Flaviani Synodum postulasse, ipsum etiam atque etiam, ac tandem expugnasse, Cl. Thomassino animadversum est (a), qui etiam haec in rem nostram subjungit: *Quam provida autem utrobique, quamque salutaria Ecclesiae essent Sedis Apostolicae judicia, ipso rerum exitu comprobatum est. Consultissimum enim fuisset abstinere ab illa Synodo praedatoria Ephesina; consultissimum fuit inflicta Ecclesiis illo Latrocinio vulnera per Chalcedonensem Synodum obduci.* Itaque in Ephesina illa secunda Synodo, quae invito Leone celebrata est, nec ejus Legatis praeesse coetui datum est, nec ipsius litterae recitatae sunt, ad quas velut ad regulam decreta exigerentur, Eutychiana impietas praevaluit, & in Catholicam fidem, & Catholicorum dogmatum Defensores longe lateque

(a) Dissert. XI. in Conc. CP. sub Flav. & Ephes. II. num. X.

que grassata est: at in Chalcedonensi Concilio, quod *auctore Leone* habitum est, cui Legati illius praefuerunt, & in quo omnia ad ejus judicium atque doctrinam velut ad normam exacta sunt, & veritas vicit, & profana novitas profligata est. Nec secus accidit in Basileensi Synodo & Florentina. Prior enim refragante Eugenio celebrata, quaeque se, veterum Conciliorum more, ab illo dirigi & gubernari passa non est, pessimum habuit exitum, & latrocinalis ac praedatoria Synodus evasit, quae Occidentalem Ecclesiam diro schismate laceravit. Posterior autem, quam Eugenius indixit, cui praefuit, quam moderatus est, & praesentia sua fovit atque illustravit, Orientales Ecclesias jamdiu ab Occidentali divulsas, variisque erroribus constupratas, ad unitatem revocavit, fideique Catholicae integritati restituit. Quo sane nullum praeclarius argumentum adferri potest praesentiae Spiritus Sancti in Synodis Oecumenicis, quum illas Romani Pontifices regunt; & contra, eumdem ab eis Spiritum veritatis & unitatis abesse, quum adspectabili Ecclesiae Capiti velut membra subesse renuunt, illique leges statuere aggrediuntur, non ab eo accipere volunt. Sed haec interim missa faciamus, de quibus postea uberius ac luculentius differemus. Quum enim Adversarii non audeant omnia Basileensis Concilii acta palam & aperta fronte tueri, duo illi inter Pontificem & Synodum dissidia distinguunt, ac vel in secundo dissidio aegre patiuntur, ut cum Ephesino Latrocinio Basileense conferatur. Quod autem ad primum dissidium attinet; omnia per Synodum adversus Pontificem, ipsam dissolvere aut alio transferre molientem, legitime gesta fuisse, nec suarum facultatum limites eam esse praetergressam, quum Eugenio ineundae pacis leges & conditiones praescripsit; ipsius Eugenii litteris & auctoritate invicte probari existimant; qui nimirum Synodi legibus obsequutus, quaecunque in eam molitus fuerat, irrita declaravit, Synodumque Basileae jure ac legitime & inchoatam fuisse, & deinceps permansisse, professus est, quamquam ejus dissolutionem ac translationem sollennibus ipse decretis & sanctionibus edixisset. Unde palam effici videatur, semel coactam Oecumenicam Synodum nequaquam ex Romani Pontificis potestate ac voluntate pendere, sed ei potius ipsum Romanum Pontificem esse subjectum qui Patrum Decretis ac legibus obsequi compellatur.

Haec reapse in hocce primo Pontificem inter ac Synodum dissidio gesta fuisse, haud equidem imus inficias: sed jurene an injuria gesta sint, id vero nobis accurate discutiendum est. Nobis enim, contra atque Adversarii sentiunt, & rata & valida fuisse videntur Eugenii IV. de Synodi dissolutione vel translatione Decreta; adeoque irrita & inania, quae ipso reclamante, a Basileensibus gesta & sancita sunt; & nullius esse momenti ejusdem Eugenii litterae, quibus priora Basileensium acta probavit, ut quae ipsi per vim extortae fuerint, atque apertissime constet, nunquam aut Eugenium ipsum, aut Ecclesiam Romanam avita abjecisse dogmata veteresque exuisse sensus, de collata per Christum Apostolorum Principi, ejusque

que in Sede Apostolica Successoribus, Monarchica in universam Ecclesiam, adeoque & in Synodos Oecumenicas, potestate. Tria ergo mihi in hujusce disputationis limine demonstranda sunt. 1. Jus Eugenio fuisse ad Basileense Concilium, ipso quoque renuente ac reclamante, aut penitus dissolvendum, aut alio transferendum. 2. Justis illum ac legitimis caussis Synodum Basileae coactam abrogasse, ac Bononiam transferre voluisse, post annum cum dimidio ipso praesente ac Praeside celebrandam. 3. De veris ac genuinis ejusdem Eugenii & Ecclesiae Romanae sensibus statuendum non esse ex litteris, quae ipsi per vim in gratiam Basileensium extortae sunt, sed cum ex aliis ejusdem temporis monumentis, tum maxime ex iis, quae ab Eugenio patrata sunt aut litteris consignata, quum ipsi integrum fuit palam & aperte & absque verborum circuitione animi sui sensa depromere.

ARTICULUS PRIMUS.

Penes Romanos Pontifices jus & potestas est ad Synodos Oecumenicas de loco in locum, ipsis etiam invitis ac repugnantibus, transferendas, aut etiam penitus dissolvendas.

A Romanis Pontificibus Oecumenicas Synodos esse congregandas, nec ipsi diffitebantur Basileenses; At Synodos semel coactas, ipsis etiam invitis ac reluctantibus, dissolvere, vel de loco in locum transferre, in ullius hominis esse potestate, id vero illi praefracte ac pertinaciter abnuebant. Conciliis enim Oecumenicis, simul atque congregata sunt, adesse Spiritum Sanctum, qui illa virtute sua contineat & confirmet, atque illorum Decretis pondus adjungat & ineluctabilem auctoritatem; ut qui Synodum semel coactam & Spiritus Sancti praesentia & virtute firmatam, ipsa quoque reclamante, dissolvere, aut transferre moliatur, Spiritui Sancto resistat, vel in ipsius etiam potestatem & auctoritatem invadat. Praesto autem esse Conciliis Oecumenicis Spiritum Sanctum, & quae ab illis communi sententia aguntur aut decernuntur, Spiritu Sancto auctore decerni, adeoque debere integra & inviolata consistere, nec ullius infringi ac labefactari posse temeritate, multis illi & scripturarum testimoniis & Patrum locis persuadere nitebantur. *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum ego. Ecce ego vobiscum sum &c. Spiritus Sanctus docebit, vos omnem veritatem. Ecclesia*, quae in Synodo Oecumenica repraesentatur, *columna est & firmamentum veritatis. Adversus eam portae inferi*, hoc est scelerum & pravorum dogmatum vis, *praevalere non possunt*. Conciliis generalibus idem honor habendus ac quatuor Evangeliis. *Uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiae probavit assensus, nullam magis exsequi Sedem praeceteris oportere quam primam. Contra statuta Patrum .... ne hujus quidem Sedis possit auctoritas &c.* Ex quibus aliisque id generis testimoniis, Basileenses sibi jure colligere videbantur, Synodum semel in Christi nomine congregatam, & Ecclesiam Catholicam repraesentantem, Praesi-

dem

dem habere ipſum Chriſtum, qui illam per ſuum Spiritum dirigat doceatque, & ab omnibus erroribus praviſque dogmatis tutam & invictam praeſtet. Quare eam eſſe certam & inflexibilem, vel, ut ajebant, *inobliquabilem* regulam veritatis, cui vel ipſe Romanus Pontifex, tanquam homo erroribus ac peccatis obnoxius merito ſubjiciatur; quum Synodus univerſalis nec peccare nec decipi poſſit, perinde atque ipſa Eccleſia Catholica, quam repraeſentat. Haec illi paſſim jactabant, & ad eam Synodum transferebant, a qua non modo Romanus Pontifex aberat, ſed quae illo etiam invito ac reclamante celebrabatur. Quapropter id nobis diſcutiendum imprimis eſt, an ejuſmodi Synodus certam habeat praeſentiae Spiritus Sancti vel in Eccleſiae traditione, vel in ſacris litteris promiſſionem. Fruſtra enim Pontifici Synodum abroganti Synodi ipſius auctoritas objicitur, niſi certo & perſpicue conſtet, Pontifice ab ea recedente, permanere tamen in illa & cum illa Chriſtum, qui velut proprium & primarium Eccleſiae Caput ſuo illam Spiritu induat, & auctoritate confirmet.

Nobis ergo quod Baſileenſes tam praefidenter jactabant, ſibi adeſſe Chriſtum & Spiritum ejus, ſeſeque eorum nixos ac praeditos poteſtate, Eugenio Synodum revocanti jure reſiſtere, non modo ex ſacris litteris & Eccleſiae traditione certum & exploratum non eſt, verum ex iiſdem fontibus ac principiis prorſus contraria nobis ſententia ineſt. Nam quod ad primum adtinet textum; probandum Baſileenſibus erat, eos in Chriſti nomine congregari, quos Romanus Pontifex a ſua communione repelleret; contra atque S. Hieronymo viſum eſt, cujus haec ſunt ad Damaſum verba (*a*): *Ego nullum praevium niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuae, id eſt Cathedrae Petri communione conſocior. Super illam Petram aedificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt: ſi quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Et rurſus: *Quicunque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Si autem profanus eſt, ſi non Chriſti, ſed Antichriſti eſt, qui cum Romano Pontifice conjunctus non eſt, ii profecto in Chriſti nomine minime congregantur, qui a Romani Pontificis communione ſejuncti ſint. Fatemur quidem, ſuam Chriſtum praeſentiam, ſuumque Spiritum Apoſtolis promiſiſſe; ſed ut praeclare ipſemet Boſſuetius alibi nobis laudatus animadvertit, ab eorum conſortio Petrus non aberat, ſed inter eos erat velut eorum Caput & Princeps a Chriſto deſignatus, quum haec illis promiſſa ſunt. Qua ergo fiducia ſibi de Chriſti & Spiritus Sancti praeſentia Epiſcopi ſpondeant, ſi ab eorum coetu Petrus abſit, *qui*, ut ait S. Petrus Chryſologus (*b*), adhuc *in propria Sede & vivit, & praeſidet, & praeſtat quaerentibus fidei veritatem?* Quis etiam neſciat Eccleſiam Catholicam columnam eſſe & firmamentum veritatis, & adverſus eam portas inferi prae-

(*a*) Epiſt. XV. al. XIV. vel LVII.
(*b*) Epiſt. ad Eutych. I. Par. Conc. Chalced. cap. XV.

praevalere non posse. Sed hanc Ecclesiam cum Hieronymo paullo ante laudato super Petram aedificatam scimus, & ideo immobilem & inferis portis invictam & inexpugnabilem credimus, quoniam & hanc ipsam Petram, super quam aeterni hujus aedificii altitudo consurgit, *superbae non vincunt inferorum portae*, quemadmodum alicubi S. Augustinus observat, cui & alii Patres alibi nobis laudati (*a*) apertissime suffragantur; ac proinde ad illos, qui super hanc petram non aedificant, Christi promissa non pertinent. Prius enim dictum est: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*; ac deinde subjunctum: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Pars ergo Ecclesiae, quae super hanc petram non aedificetur, ab inferorum insultibus tuta ex Christi promissis non est: nam uti scribit Hieronymus ad Damasum loco paullo ante commemorato: *Qui tecum non colligit, spargit*. Itaque ex sacris litteris non habemus, Synodos, invitis ac reluctantibus Romanis Pontificibus congregatas, ob Christi & Spiritus Sancti praesentiam; deficere & errare non posse, & ineluctabili praeditas esse auctoritate; ut quicunque illarum Decretis obsistit, Spiritui Sancto resistere censeatur.

Sed neque id habemus ex traditione. Nam & hic probandum Basileensibus erat, Pontifices ac veteres Patres qui Synodis Oecumenicis indeclinabilem vindicarunt potestatem, eas Synodos cogitasse, quae refragantibus Romanis Pontificibus habitae sint, & quas illi improbarint, non autem eas tantum, quibus aut ipsi per se, aut per suos Legatos praefuerint, & quarum decreta Apostolica auctoritate firmarint. Id vero nunquam Basileenses demonstrarunt, imo nec demonstrare potuissent: nam ex vetusta & constanti Ecclesiae traditione contraria plane sententia derivatur. Constat enim, quibuslibet Conciliis eorumque Decretis exsufflandis & abjiciendis satis id esse creditum, quod ea Romani Pontifices reprobarint: ea vero convaluisse, quae valida & rata iidem Romani Pontifices habuerunt. Sic Julius I. apud Socratem (*b*) & Sozomenum (*c*) Orientales admonet: *Legem esse Sacerdotalem, quae pronuntiat, acta illa irrita esse, quae absque sententia Episcopi Romani constituuntur*. Sic Damasus ad Episcopos Illyrici ex Romana Synodo scripsit (*d*): *Numerum Episcoporum, qui fuerant Arimini congregati, praejudicii vim habere non posse, quod eorum formula composita esset Episcopo Romano minime consentiente, cujus prae ceteris omnibus sententia fuerat exspectanda*. Ita Lucentius S. Leonis in Synodo Chalcedonensi Legatus id primum Dioscoro objecit [*e*], quod *praesumsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae: quod*, inquit, *nunquam licuit, nunquam factum est*. Ita

(*a*) Sup. lib. IV. cap. II. art. I. & II.
(*b*) Lib. II. Hist. Eccles. cap. VIII.
(*c*) Lib. III. Hist. Eccles. cap. X.
(*d*) Ap. Theodorit. lib. II. Hist. Eccl cap. XXII.
(*e*) Act. I. Conc. Chalcedon.

Ita in septima Synodo Actione VI. Concilio trecentorum ac viginti & octo Episcoporum, quod sub Constantino Copronymo fuerat adversus sacras Imagines celebratum, Oecumenici titulus & auctoritas abrogata est, *quia non habuit adjutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos, qui circa ipsum sunt Sacerdotes, nec etiam per Vicarios ejus, neque per encyclicam Epistolam, quemadmodum lex dictat Conciliorum*. Quae Synodi respicere auctoritatem, ipsi etiam Petro de Marca observatum est (*a*). Ita apud eumdem Illustrissimum Auctorem (*b*), S. Stephanus Junior eamdem Iconomachorum Pseudo Synodum immerito sibi Oecumenicae titulum adrogasse, ea ratione contendit, quod citra Romani Pontificis auctoritatem de rebus Ecclesiasticis decernere fas non est [*c*]: *Qui Oecumenicum Concilium istud vocari queat, quod Romanus Antistes, citra cujus auctoritatem nullo modo fieri potest, ut res Ecclesiasticae ad normam dirigantur, gratum non habuit?* Ita S. Theodorus Studites Leoni III. scribens ajebat, Moechos, hoc est, qui adulterinis Imperatoris nuptiis suffragabantur, haereticam Synodum habuisse, qui neque orthodoxam celebrare, ipso abnuente, potuissent (*d*): *Haereticam Synodum cogere veriti non sunt, qui ne orthodoxam quidem absque cognitione vestra, ut antiquus mos obtinet, cogere potuerunt*. Quae quum ita sint, qua fronte Basileenses quae de summa & irretractabili generalium Conciliorum auctoritate in Ecclesiasticis Monumentis occurrunt, ad suam pertrahere Synodum nitebantur, quae repugnante atque improbante legitimo Pontifice celebrabatur? Quum ea praerogativa iis tantum Conciliis, etiam Oecumenicis, conveniat, quorum decreta, ut est apud Ferrandum (*e*), *ad Beati Petri memoriam perducta, diligentius examinantur, atque firmantur. Haec*, inquit, *sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt, in retractatione sub qualibet pietatis specie teneri non debent*. De his autem, quae invitis Romanis Pontificibus decernuntur, nec eorum adprobatione firmantur, quae fuerit veterum Patrum sententia, ex adlatis eorum testimoniis exploratum est: quae tam recte meritoque in Basileensem Synodum intorquentur, quam ipsa ea sibi immerito vindicabat, quibus eorum tantum Conciliorum auctoritas a Patribus celebratur, *quibus*, ut ait idem Ferrandus, *Ecclesiae Romanae consensus accessit*.

Illud vero quam absonum & absurdum, quod ut Synodi, quam invito Eugenio Basileenses celebrabant, supra ipsum Pontificem auctoritatem eveherent, hanc esse jactabant non modo fidei, verum & aequitatis *inobliquabilem* regulam, quae perinde atque ipsa Ecclesia Catholica, quam, eorum sententia, repraesentabat, ut non errare, ita nec deficere aut peccare posset; quum tamen Romanus Pon-

(*a*) Lib. V. de Conc. sac. & Imp. cap. XIV. num. I.
(*b*) Ibid. num. VIII. & in Add. Paluz.
(*c*) Ex Metaph. in Vit. Steph. Jun. cap. XXX.
(*d*) Lib. I. Epist. XXXIII.
(*e*) Epist. ad Pelag. num. VII.

Pontifex velut homo & erroribus & peccatis obnoxius haberetur: qui proinde Synodi non modo de fide, verum & de moribus, & de Ecclesiastica disciplina decretis parere omnino deberet, ad eaque velut ad certissimas & irretractabiles regulas, & suos ipse mores exigere ac reformare, & Romanam Curiam componere cogeretur. Videamus ergo, an quae ipsi de sua illa Synodo tam magnifice praedicabant, veterum gestorum experimentis comprobentur. Propius haec ad praesentem spectabunt disputationem. Nam si Oecumenica Synodus, neglecta & posthabita, quam exhibere debet Romanis Pontificibus reverentia, & sua abuti auctoritate, aut in tyrannidem verti possit; quae caussa erit, cur ea Romani Pontificis potestate aut omnino dissolvi, aut alio transferri nequeat? Posse autem Synodum Oecumenicam, nisi Romanum Pontificem praeeuntem facemque praeferentem sequatur, a sanctioribus disciplinae fideique regulis declinare, ex magna illa Synodo Chalcedonensi non una ratione compertum est. Quis enim ignorat, qua verborum vehementia S. Leo Canonem Chalcedonensem XXVIII. insectatus sit, quo Constantinopolitana Sedes, resistentibus & reclamantibus Sancti ipsius Leonis Legatis, super ceteras Orientis evecta est? Perinde enim S. Pontifex in eum Canonem invectus est, ac si per eum violata fuissent omnium Ecclesiarum jura, & eversa disciplina, quam, inquit (a), *ad pacificationem omnium Sacerdotum per trecentos decem & octo Antistites Spiritus Sanctus instituit*, & quae, ut ipse fatetur Bossuetius (b), rei universae Ecclesiasticae conducere videretur; qua proinde soluta atque labefactata, Ecclesiarum omnium turbari pacem, & omnia susdeque misceri, S. Leo frequentissimis ac vehementissimis litteris inculcabat (c): *Nimis ergo haec improba, nimis sunt prava, quae sacratissimis Canonibus inveniuntur esse contraria. In totius Ecclesiae pertubationem superba haec tendit elatio, quae ita abuti voluit Concilio Synodali, ut Fratres in fidei tantummodo negotium convocatos, & definitione ejus caussae, quae erat curanda, perfunctos, ad consentiendum sibi, aut depravando traducerent, aut terrendo compellerent*. En Synodum Oecumenicam, quae nimis improba & prava decernat, & quae totius Ecclesiae tendant pertubationem, quaeque idem S. Pontifex (d) in irritum misit, & per auctoritatem Beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassavit. Ut illa Basileensibus tantopere jactata de Conciliorum generalium in fidei morumque, ac disciplinae decretis inerrantia, quibus idem honor Evangelicis Decretis habendus sit, quae nemo infringere possit, nisi qui una & Spiritui Sancto resistat, quam vana & futilia sint, vel hoc uno exemplo apertissime demonstretur.

At-

(a) Epist. LV ad Pulch. Aug. Tom. IV. Concil.
(b) Par. 2. lib. XIII cap. VIII.
(c) Epist. ad Anatol. 3. Par. Conc. Chalced. cap. V.
(d) Epist. LV. ad Pulch. Tom. IV. Concil.

Atque hic mihi commemoranda sunt, quae circa hunc Canonem loco paullo superius citato Bossuetius observat: ,, Defendimus, inquit, Constantiense Concilium, quo nempe ,, Concilii potior auctoritas cognoscatur in fide, in schismate, in reformatione generali promovenda. ,, At Orientales Episcopi isto Canone ,, Episcopo Constantinopolitano consulebant, Imperatori gratificabantur, non fidei, non schismati, ,, non reformationi generali providebant. Imo vero rectum ordinem ,, ac primarum Sedium honorem ab ,, antiquo institutum evertebant, qui ,, rei universae Ecclesiasticae conducere videretur, Non ergo adversus effraenem aut extraordinariam ,, potestatem, Canones ac jura libertatemque Ecclesiasticam tuebantur; ,, quod Patres Constantienses volebant; sed Papae, Canones rectumque ac probum & canonicum ,, ordinem defendenti, repugnabant; ,, ac proinde ad nostram quaestionem ,, non pertinet quidquid hic actum ,, ab illis fuit. Ego autem hinc tria colligo, quae ad praesentem disputationem plurimum pertinere videantur. Et primo quidem, quod neque in ipsa generali reformatione promovenda velut regula *inobliquabilis* spectanda sit generalium Conciliorum auctoritas. Quomodo enim tanquam regula indeclinabilis habenda est, quae ut Regiae Civitatis Episcopo consuleret, & Imperatori gratificaretur, rectum ordinem ac primarum Sedium honorem ab antiquo institutum evertebat, qui rei universae Ecclesiasticae, qui paci omnium Ecclesiarum conducere videretur? Secundo, ergo contingere potest, & reapse aliquando contigit, ut rectum ac probum & canonicum ordinem Pontifex tueretur, quem Synodus Oecumenica suis decretis labefactare & evertere nitebatur. Sic S. Leo Nicaenum de Primarum Sedium ordine Canonem defendebat, cui primùm Constantinopolitana Synodus, deinde Chalcedonensis lethale vulnus inflixerant. Tertio, ergo & contingere potest, ut in Synodum Oecumenicam suis decretis rectum ac probum & canonicum ordinem evertentem, suam Romanus Pontifex exerat auctoritatem. Sic idem S. Leo Chalcedonensem illum Canonem, ut jam diximus, in irritum misit, & per auctoritatem Beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassavit. Quidni ergo & quilibet Romanus Pontifex, si Oecumenica Synodus in Apostolicae Sedis jura involet, eaque appetat, quae nulla unquam legitima Synodus usurpavit, & Ecclesiae Monarchiam a Christo institutam evertere manifeste videatur; quidni, inquam, & illi Romanus Pontifex pro virili obsistat, eamque per Beati Petri Apostolorum Principis auctoritatem generali prorsus definitione dissolvat?

Sed graviora sunt, & propius controversiam nostram attingunt, quae Actione V. in eadem Chalcedonensi Synodo contigerunt. Formula fidei tam aequivoca, & ob quorumdam verborum omissionem; quae S. Leo velut Eutychiano dogmati funditus exscindendo apprime apta selegerat; Dioscori impietati tam consona Synodo proposita fuerat, ut Anatolius quo hanc ab illa maculam & invidiam de-

depelleret, dicere non dubitarit, propter fidem damnatum non fuisse Dioscorum. Hanc tamen formulam, praeter Apostolicae Sedis Legatos & paucos Orientales, omnes Episcopi magnis reclamationibus exceperunt, eos velut Nestorianos & haereticos insectantes, qui eidem subscribere renuebant. Quod S. Leonis Legati indigne ferentes, e Synodo discedere statuerunt, Romamque aut saltem in Italiam reverti ad novam ibi Synodum celebrandam: *Si non consentiunt Epistolae Apostolici & beatissimi Viri Papae Leonis, jubete nobis rescripta dari ut revertamur, & ibi Synodus celebretur.* Eorumque petitioni Marcianus annuendum existimabat, nisi Synodus in unam eamdemque cum Legatis, & S. Leonis epistolae per omnia congruentem, fidei formulam conveniret: *Cognoscite, quia in partibus Occidentalibus habet fieri Synodus, eo quod Religiositas vestra hic noluit de vera & orthodoxa fide indubitanter definire.* Ex quibus duo, quae ad rem nostram maxime pertinent, colliguntur. Unum est, Ejusmodi Synodi, qualem Basileenses cogitabant animoque informatam habebant, quae nimirum a Romano Pontifice dissentiret; ejusmodi, inquam, Synodi judicia non esse irreformabiles & irretractabiles, aut *inobliquabiles* fidei Catholicae regulas. Nam magna illa Chalcedonensis Synodus aequivocam, ut jam diximus, fidei regulam adprobaverat, & nisi per Legatos ad S. Leonis Epistolam velut ad certam normam revocata fuisset, eam Orbi Christiano omnium fere Patrum subscriptione munitam obtrusisset: *Definitio omnibus placuit .... Petimus ut definitio subscribatur coram Evangeliis ..... Jubete subscribi definitionem. Contra fidem fraus non fiat. Qui non subscribit definitioni, haereticus est..... Spiritus Sanctus definitionem dictavit. Definitio orthodoxa est. Definitio modo subscribatur &c.* En Synodi voces, quum per omnia Pontificem fidem dictantem & praescribentem non sequitur. Nam paullo post agentibus Legatis apertissime constitit, mancam & imperfectam fuisse eam fidei definitionem, quam velut a Spiritu Sancto dictatam, ab omnibus, qui orthodoxi & Catholici haberi vellent, statim esse subscribendam, pertinacibus clamoribus contendebant. Hinc merito postmodum Romani Pontifices tria Capitula, etsi ab eodem Chalcedonensi Concilio, ut falso schismatici judicabant, adprobata fuissent, nihilominus retractari potuisse adfirmarunt, quoniam ad hoc negotium pertractandum ac definiendum nulla S. Leonis auctoritas intercesserat. Alterum quod colligimus est, nec Legatorum, nec Imperatoris, nec aliorum Patrum animis haesisse illud Basileensium commentum, quod Synodus generalis, ipsa nequaquam consentiente dissolvi, vel transferri non possit. Nam neque Legati, neque Imperator tam fidenter audacterque minati fuissent, Synodum in Occidente coactum iri, nisi illo transferri etiam invitis Patribus potuisset, neque id Patres silentio dissimulassent, si persuasum habuissent, id ex ipsorum voluntate pendere. Neque hac vice tantum, sed vel sub ipsum Synodi initium se se ab ea discessuros iidem S. Leonis Legati professi sunt.

ſunt, ſi contra atque ſanctiſſimus ille Pontifex praecipiebat, Dioſcoro locus inter Epiſcopos daretur: *Aut ille egrediatur, aut nos eximus*. Quamquam autem dura videretur Judicibus ea S. Leonis ſententia, neque in Concilio deeſſent, qui Dioſcoro ſuffragabantur; nemo tamen Legatis objecit, etiam illis exeuntibus adhuc Synodum permanſuram, quae paci Eccleſiarum & fidei Catholicae provideret. Nimirum haec ſomnia nondum cujuſquam mentem invaſerant, ſed ea omnium mentibus ſententia haerebat, quae & deinceps ad uſque Conſtantienſis & Baſileenſis Concilii tempora inter Catholicos conſtanter obtinuit, certo ac legitimo Pontifice repugnante, Oecumenicam Synodum celebrari non poſſe; adeoque penes illum eſſe, quemadmodum & Sanctus Theodorus Studites luculenter docuit [a], ſummam Oecumenicae Synodi poteſtatem: *ᾧ καὶ τὸ κράτος ἀναφέρεται τῆς οἰκυμενικῆς συνόδου*. *Cui & poteſtas ſumma defertur Synodi Oecumenicae*.

ARTICULUS SECUNDUS.

Eugenius IV. legitimis juſtiſque rationibus permotus, Baſileenſem Synodum Bononiam transferre decrevit.

UT certum eſt, in Romani Pontificis poteſtate poſitum eſſe Synodos Oecumenicas de loco in locum transferre, aut etiam dirimere: ita & nemo dubitat, non debere illum ejuſmodi poteſtate uti, niſi illa utendi legitimae ipſius animo juſtaeque ſuppetant rationes. Cujuſmodi an Eugenio IV. Baſileenſe Concilium dirimenti, aut potius Bononiam transferenti praeſto fuerint, prudens Lector ac praejudiciis expeditus facile ex dicendis judicabit. Porro ut aequitas & prudentia, quibus in hoc negotio Eugenius uſus eſt, praeclarius innoteſcant, varia hic nobis decreta ſingulatim luſtranda ſunt ab ipſo edita, antequam *pure ac ſimpliciter*, ut volebant Baſileenſes, eorum Synodo adhaereret. Inde enim aperte conſtabit, nihil ab eo geſtum in hac cauſa ſancitumve eſſe, quod non graviſſimae rationes faciendum decernendumque ſuaderent compellerentque. Atque ut ab eo Decreto auſpicemur, quo labente anno 1431. ex ſacri Senatus ſententia Concilium Baſileenſe diſſolvit, & Legatum ſuum Cardinalem S. Angeli revocavit, nec non aliud Concilium poſt annum cum dimidio Bononiae celabrandum indixit, has ille ejuſmodi Decreti cauſſas fuiſſe diſſeminavit (b): Patres parvo numero non ſupra decem Baſileae conveniſſe, quamvis tempus praeſcriptum ſeptennii ante octo menſes eſſet elapſum: neque videri aequum a tam paucis Epiſcopis univerſae Eccleſiae leges praeſcribi: Rigere hyemale tempus; neque veriſimile eſſe illos, qui nondum venerant, in poſterum venturos: Bellum exortum eſſe inter Philippum Burgundiae & Fridericum Auſtriae Duces, omnemque circa Baſileam regionem bello vexari; proinde non poſſe Patres tuto

(a) Lib. II. Epiſt. CXXIX. ad Leon. Sacellarium.
(b) Aug. Patric. Hiſt. Conc. Baſil. &c. cap. IV.

tio illic congregari: multos convenire non posse, paucos non esse idoneos tam multis & magnis rebus agendis. Jampridem sub Martino Pontifice tractatum fuisse de unione Orientalis Ecclesiae cum Occidentali. Johannem Palaeologum Imperatorem, & Joseph Patriarcham Constantinopolitanum, Oratores ad se Romam misisse, qui exsecutionem conventorum cum Martino nomine Ecclesiae Graecae exponerent. Expedire admodum Christianae Reipublicae hanc Graecorum & Latinorum unionem; nihil utilius salubriusque hoc tempore fieri posse. Illis Basileam adire non facile esse, & ex tribus Italiae Civitatibus oblatis, Roma, Bononia, & Ancona, Bononiam elegisse; non esse tantam occasionem omittendam, neque ullo modo spernendam tot populorum salutem. Non posse rursus vocari Patres ad Concilium Basileae sine temporis prorogatione: interea diem Graecis promissam impendere, eodem tempore duobus locis congregari Ecclesiam non licere, neque, si id fieret, posse utrobique esse Synodum generalem, & bis convenire, laboriosum omnibus, & plerisque impossibile. Audiisse praeterea, Patres qui Basileae essent, Haereticos Bohemos, publice ac legitime Constantiensis ac Senensis Conciliorum auctoritate damnatos, nunc iterum ad disputandum & contendendum super damnatis articulis provocasse, in dedecus & contemptum Apostolicae Sedis, sacrorum Conciliorum, Sanctorum Patrum Decretorum, & Imperialium legum, jubentium damnatos haereticos non audiri. Ad haec adjungi adversam valetudinem, qua in principio sui Pontificatus correptus sit, non facile esse corpori per morbum confracto tantum itineris conficere; & res magnas quae imminerent praesentis Pontificis & sacri Senatus admodum indigere. Fore si ad annum cum dimidio res differatur, ut recuperata valetudine ad locum viciniorem & ipse cum Romana Curia facile accedat, & tempore magis opportuno Orientales & Occidentales conveniant frequentiores. Adesse praeterea plures alias caussas, quae hoc fieri suadeant, quas litteris explicare non esset tutum, neque Reipublicae expediret omnibus esse notas, eas venturas in lucem quum tempus fuerit.

Eugenii Bullam (a) Patribus adtulit Daniel Parentinus Episcopus, quam ubi Julianus Praeses accepit, mente ultra quam credi potest consternatus, statim ut verus obedientiae filius Praesidis munia dimisit. At non fuit eadem aliorum Praelatorum, licet ultra decem non essent, in Pontificem animi demissio: imo si Juliano ipsi credimus, quum de suspicione dissolutionis coram ipso Parentino Antistite orta esset collatio, *omnes de Concilio quodammodo versi sunt in furorem, & firmaverunt se fortius ad perseverandum*. Et paullo post: *Si ego, aut quivis alius auderet sine consensu istorum dissolvere, aut mutare locum Concilii, lapidarent & caperent me ut haereticum, & credo dentibus me laniarent*. Rebel-

(a) Marten. Praef. in Tom. VIII. novis. Collect. &c. num. 9.

bellionis caput fuisse dicitur Dominicus Capranica Romanus, Decretorum doctor, & Episcopus Firmanus, qui a Martino V. secreto Cardinalis designatus, nec publice ante mortem ab eo declaratus, quum in Conclavi a Purpuratis PP. admissus non fuisset, nec ab Eugenio sacro Collegio associatus, supra modum efferatus, Basileam se contulit, ubi cum inchoatum reperisset Concilium, illiusque revocandi potestatem ab Eugenio factam Juliano, congregatis Patribus auctor fuit, ne Pontifici Concilium dissolventi obedirent: quinimo contenderent, sine Patrum qui convenerant consensu haudquaquam posse dissolvi. His animatus Julianus resumto quodammodo spiritu, praesidentiam etiam resumsit, duasque Eugenio ad commovendum idoneas Epistolas scripsit, quibus multis eum rationibus a proposito revocare conabatur. Praecipua ejus ratio, quam praetexebant & alii Patres, erat Bohemorum reductio. Eos quum armis Julianus superare non potuisset, saltem disputatione ad Ecclesiae gremium reducere sperabat. Invitati jam ad Concilium fuerant; missique ad eos Legati Viri egregii, multis habitis cum eis collationibus, sic tandem effecerant, ut se cum salvo conductu Basileam accessuros promitterent. Grave igitur videbatur, concilium aut dissolvere, aut alium in locum transferre, ne deterrerentur inde Bohemi, Patribusque exprobrarent, quod caussae diffidentes suae ab omni collatione abhorrerent, fugerentque de rebus dogmaticis differere. *Si Concilium dissolvatur*, inquiebat Julianus, *quid dicent Haeretici? Nonne insultabunt in nostros, & fient proterviores? Nonne Ecclesia fatebitur se esse victam, quum non ausa fuerit expectare illos quos vocaverat?* Quam turpem notam ut a se amolirentur Patres Basileenses, continuare Concilium decrevere, atque ut Eugenium ad sua vota facilius inflecterent, primam Sessionem VII. die Decembris celebraverunt, in qua Constantiensis Synodi decretum de celebrandis frequenter Conciliis renovaverunt, moxque alteram XIV. Februarii, in qua Concilium legitime inchoatum esse, pronuntiatum est, atque in his, *quae ad fidem, exstirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiae in capite & in membris pertinent*, esse supra Papam. Subsequutaque est die XXIX. Aprilis tertia Sessio, quae Concilium a Papa dissolvi non posse declaravit. Nec his contenti Basileenses, litteras ad Sigismundum Caesarem, Carolum Regem Francorum, aliosque Reges & Principes dedere, eorum praesidium & tutamen adversus dissolutionis seu translationis Bullam implorantes.

Haec tamen Basileensium contumacia & in Pontificem aperta rebellio, haec eorum agendi ratio, haec celebratarum ab eis sessionum Decreta, calcaria Eugenio addere debuerunt, & maximo esse incitamento ad talem Synodum dissipandam, atque omni ope summoque studio cavendum, ne a talibus absque suo sacrique Senatus interventu, aliquis Conventus sub generalis Concilii nomine celebraretur. Qui enim quum perpauci adhuc essent, hosce sibi spiritus sumserant, ut se se vel invito

Pon-

Pontifice Concilium Oecumenicum facere praedicarent, cui Romanus ipse Pontifex subjectus esset, & quod ille dirimere Apostolica auctoritate non posset, & haec celebrandae Synodi fundamenta posuerant, quid non ausuri essent, quum ad eos major Praelatorum numerus accessisset? Non enim ignorabat Eugenius, ea & similia dogmata Apostolicae auctoritati plurimum infesta jam inde a Concilii Constantiensis tempore in Germania & in Galliis invaluisse. Quod si alia argumenta deessent, satis exploratum habebat ex Concilio sub initium anni 1432. Bituricis celebrato, in quo Galliarum Episcopi ab Eugenio ad praefixum tempus Bononiam convenire jussi, communi declararunt consensu: *Concilium Basileae legitime esse congregatum, neque inde posse aut debere quoquo modo transferri; & non modo utile esse & conveniens Concilium non dissolvi, sed necessario Basileae esse perficiendum propter res Bohemicas &c. Ac proinde Praelatos Concilium adire debere &c.* Ex qua etiam Synodo aperte colligi potest, quam infenso erga Pontificem animo essent, qui Basileam convenerant, conventumque Concilii Oecumenici nomine celebrabant. Nam & Archiepiscopus Lugdunensis Basileenses suorum Collegarum nomine, ut est apud Patricium, (a) *hortatus est, ut cum summo Pontifice, qui Caput est Ecclesiae, modeste agerent*: Et Synodus ipsa Bituricensis Christianos Principes monuit atque obtestata est, *ut nihil a quibuscumque permittant attentari contra Sanctissimum Dominum nostrum, Curiam Romanam, Urbem & Patrimonium eorum, unde Papa & Collegium occasionem indignationis, dilationis, suspensionis, aut mutationis assumant.* Quae monita haud credibile est, incassum edita fuisse, & quum nulla a Basileensibus ea edendi data fuisset aut daretur occasio. Annon ergo jure ac sapienter Eugenius totis viribus obsistebat, ne novum in Ecclesia tribunal erigeretur, quod praeter veterum Conciliorum morem non modo se uni Deo subjectum profiteretur, verum & Romanis ipsis Pontificibus leges praescriberet, quas non impune transgrederentur, adeoque & Monarchicam potestatem infringeret, qua Petrus a Christo donatus est, & quam ad suos in Sede Apostolica Successores ex ejusdem Christi ordinatione transmiserat? Quis enim Rex non ea Comitia pro virili dirimeret, quae praeter jus & fas summam sibi in Regno potestatem arrogarent, & novam regiminis formam instituere, ac de ipso Rege judicare praesumerent, eique leges dictare, quas violare ac transgredi non liceret? An Rex Galliarum ejusmodi coetus non ferro & igne deleret? Quis ergo Eugenio crimini vertat, ac non eum potius commendet, quod Basileensem conventum dissipare conatus est, qui talia in Ecclesiae regno moliebatur? Utcunque enim Basileenses se se jure agere existimabant, attamen certum est, ante Pisanum & Constantiense Concilium per quatuordecim saecula nullam fuisse Synodum Oecumenicam, reluctantibus Romanis Pontificibus celebratam,

aut

(a) Hist. Conc. Basil. &c. cap. VIII.

aut in auctoritatem receptam; nullam, quam non ipsi suis dogmaticis epistolis dirigerent, & quae non secundum ipsas de rebus fidei ac generalis disciplinae decerneret; nullam, quae Petri jura & Apostolicae Sedis invaderet; nullam denique, quae Romanum Pontificem, certum & indubium, neque a fide devium, judicare praesumeret. An ergo ferre debebat Eugenius, a paucis Episcopis, jam non dicam, *post quingentos annos*, ut olim adversus Orientales Gelasius (a), sed post mille & quadringentos, statuta Christi subverti, *quum triginta annorum lex hominum non possit abrumpi*? Nam Eugenius, perinde ac ejus Decessores, ea Romanae Sedis privilegia ex Christi largitate & institutione fluxisse, minime ambigebat, nec ea labefactari posse existimabat, quin omnium Ecclesiarum pax & tranquillitas perturbaretur, quae illis veluti solidis & inconcussis fundamentis innitatur. *Privilegia namque Romanae Ecclesiae*, ut praeclare olim Nicolaus I. Carolo Calvo Francorum Regi scribebat (b), *totius sunt, ut ita dicamus, remedia Ecclesiae Catholicae. Privilegia, inquam, Petri, arma sunt contra omnes impetus pravitatum, & munimenta atque documenta Domini Sacerdotum, & omnium prorsus qui in sublimitate consistunt*. Quae proinde concuti ac violari nunquam boni laudabilesque Pontifices passi sunt: quorum vestigiis Eugenius insistens, cum laudato Nicolao merito per haec tempora protestabatur (c): *Quae tamen privilegia usque ad mortem, ope freti divina, Praedecessorum meorum vestigia sequendo, cassari taliter, minime patiemur.*

Verumenimvero quum Basileenses, & qui eis adhaerebant totius fere Europae Principes, Eugenio indesinenter objicerent, quod soluto Concilio, de Bohemorum desperandum erat conversione, eodemque Bononiae celebrando in annum ac dimidium dilato, per tantum temporis spatium Ecclesiae reformandae, pacis inter Principes procurandae, & Bohemorum in gremium Ecclesiae reducendorum tollerretur occasio; quumque eosdem Basileenses ad conflandum schisma paratos esse laudatus Pontifex animadverteret, plures ineundae pacis vias proposuit, quas aequissimis ac mitissimis conditionibus temperavit. Quum enim ipsi & de loco & tempore convocandae Synodi controversia commoveretur, primum indulsit, ut si ad avertenda mala, quae vel ex Bohemica secta, vel ex depravatis Cleri moribus, Ecclesiae Germanicae imminerent, praesenti Synodo opus esset, & Nationalis sufficere videretur, ea statim per Legatum Apostolicum Francofurti aut Nurimbergae haberetur. Si autem necessaria Synodus Oecumenica judicaretur, annuebat etiam, ut ea vel Bononiam, vel in aliam Italiae Urbem Sedis Apostolicae dominio subjectam, & Graecis excipiendis opportunam, nulla interposita mora, trans-

(a) Vid. ap. Nicol. I. Epist. ad Episc. Gal. ex VII. Conc. Rom.
(b) Epist. XXX. ad Carol. Calvum.
(c) Ibid. & Epist. XXXII. ad Episc. Syn. Silvanect.

transferetur. Quum autem Refractarios, ut in Italiam proficiscerentur, flectere ac permovere non posset, consensit adhuc mitissimus & pacis amantissimus Pontifex, ut in Germania, modo extra Basileam, ad celebrandam Oecumenicam Synodum ex universa Ecclesia Patres congregarentur. Si Basileenses ea tantum prae oculis habuissent, ob quae generalia Concilia indici hactenus consueverant; nimirum ut gliscentes haereses profligentur, pax inter diffidentes Principes concilietur, & Ecclesiae mores ad primaevam sanctitatem revocentur; nihil eis ultra expetendum fuisset, quum ad haec negotia perficienda quamplures Germaniae Urbes aptae, perinde ac Basilea, & commodae viderentur. At praecipuum ipsorum negotium non erat, aut furentes haereticos delinire vel Ecclesiae reconciliare, aut Christianae Reipublicae tranquillitatem restituere, aut Cleri disciplinam sanctissimis legibus communire: sed cum Romano Pontifice de primatu contendere, ipsum conterere, ejusque coërcere & infringere potestatem. Quum enim & praeteriti schismatis experimento, & Principum frequentibus litteris monerentur, non posse aut solidam pacem revocari, aut depravatos corrigi mores, dum in varias factiones scinderetur Ecclesia; imo nihil esse schismate aptius, aut gignendis haeresibus, aut ferendis fovendisque bellis, aut moribus depravandis; dum tamen vincerent, & Pontificis constantiam expugnarent, in manifestissimum schismatis discrimen Ecclesiam adducere, egregii illi Christianae pacis, Catholicae fidei, & severioris disciplinae vindices & assertores nequaquam veriti sunt; ut merito illis Eugenius objecerit, quod eorum Acta *non ad reformationem, sed ad deformationem; non ad unitatem, sed ad scissuram Ecclesiae; non ad haereses tollendas, sed nutriendas; non ad pacem fidelium, sed discordiam seminandam spectare viderentur.*

Sequentibus ergo Synodi actis praetexenda non est Bohemorum conversio, quae Synodum in Germania fieri postularet; sed una in iis de potestate & auctoritate contentio spectanda est. Si enim Basilea Synodus abduceretur, vel etiam ibidem, prioribus actis abrogatis, nova veluti Synodus inchoaretur, id obtinebat Pontifex, ut Concilia Oecumenica ab ejus nutu & auctoritate pendere viderentur. Si autem Eugenius non modo Basileae permanere Synodum pateretur, verum & ibi hactenus jure ac legitime permansisse agnosceret, atque irrita declararet quae ad eam dirimendam gesta ac decreta fuerant, ac ei tandem *pure ac simpliciter* adhaereret, id evincebat Synodus, ut ipsa nequaquam Romani Pontificis potestati obnoxia & subjecta esse videretur. Nemo sapiens negaverit, quin plura veterum Patrum, & Pontificum, & Conciliorum testimonia Eugenio suffragarentur, & quin Synodi Constantiensis decretis, quibus maxime Basileenses nitebantur, plures ab Eugenianis responsiones saltem in speciem probabiles adhiberentur; ut nonnisi temere ac per summam impudentiam jactari posset eam de Conciliorum generalium supra certum indubiumque Pontificem potestate controversiam per Constantiense Concilium

lium decreto prorsus irretractabili, & quod ad fidei regulam pertineret, fuisse diremtam. Quin suo loco videbimus, quod quamquam illi, qui post Synodum rursus Eugenii auctoritate solutam, & Ferrariam translatam, Basileae velut legitimam & generalem Synodum celebrantes permanserant, Concilio subjectum esse Pontificem non ambigerent; attamen ubi quorumdam vesania eo prorupit, ut hanc opinionem in fidei dogma erigi vellet, cui nemo nisi haereticus contradiceret, ferale inter eos dissidium exortum est, nec nisi per Cardinalis Arelatensis tyrannidem dolosque malos, pravum illud ac temerarium decretum hac de re conditum est, quod Eugenius IV. in Florentina Synodo tota Sedis Apostolicae auctoritate damnavit. Quin etiam ipse Meldensis Episcopus infra cap. XV. fatetur, Quaestionem Basileensem de translatione pendere adhuc, & in medio relictam & indecisam videri. Quis ergo non damnet eorum temeritatem, qui, ut vel ipsi fatebantur, meris opinionibus freti, de quibus salva fide inter Theologos disceptabatur, quas palam, libereque, & absque ulla nota Sedis Apostolicae Legati, contrariam doctrinam adserendo, in ipsamet Synodo refellebant; qui meris, inquam, opinionibus freti, Christi Vicarum, & summum Christiani Gregis Pastorem, quem olim sexcenti Patres in magna illa Chalcedonensi Synodo velut membra caput, & Patrem filii venerati fuerant, nefariis decretis impetere & exagitare aggressi sunt, & concusso Ecclesiae fundamento, eam in certum discrimen adducere non dubitarunt? Profecto hanc eorum temeritatem & inconsultam agendi rationem Sigismundus Imperator, Galliarum & Angliae Reges, S. R. I. Electores, aliique Principes improbarunt: qui quamquam Concilio adhaerebant, intactum tamen pro sua pietate & religione volebant sacerrimum Ecclesiae caput, & summopere cavebant verebanturque, ne Christianae Reipublicae corpus, quod vix coaluerat, novo ac tetriore schismate laniaretur. Id quod etiam Eugenius magis veritus est, ac ne Ecclesiam in graviores fluctus conjiceret, concordiae formulam ab ipsis Basileensibus concinnatam amplexus est, qua omnia, quae in Synodum gesserat, irrita declaravit; Apostolicis litteris, quibus ad asserendam Pontificiam auctoritatem omnia Basileensium gesta resciderat, vim omnem & firmitatem ademit; & Synodo, tanquam legitime inchoatae, legitime etiam, frustra eam & irrito conatu revocante ac dirimente Pontifice, permanenti, se se *pure ac simpliciter* adhaerere, & in posterum adhaesurum, professus est. Hoc est Pontificium illud Diploma, quo se tum maxime Basileenses extulerunt, & nunc etiam sese Galli Theologi efferunt; *ut nullum* jactent, quemadmodum superius animadvertimus, *ritu solemniori promulgari posse, quippe quod fuerit in Oecumenica Synodo promulgatum, ac Synodi sententia roboratum*. An tantum in eo monumento ponderis ac momenti sit, mox videbimus. Interim vero ex dictis colligimus, quaecunque ab Eugenio vel in Synodo dirimenda, aut post ejus promulgatam solutionem pro vindicanda Apostolica auctoritate gesta decretaque sunt, gravis-

vissimis rationibus niti, & in eis sapientiam, mansuetudinem, aequitatem, aliasque virtutes elucere tanto Pontifice dignas. Quod si in admittenda Basileensi formula aliqua Pontificis culpa fuit, haec potius Basileensibus imputanda est, qui pertinacissima contentione, quam nemo virtuti adscribat, aut ipsis laudi vertat, optimi Viri constantiam fregerunt, & in hanc necessitatem compulerunt aut Sedis suae caussam prodendi, aut funesti schismatis certo discrimini Ecclesiam Catholicam objiciendi. Quem tamen ipsius naevum plurimum elevat, & facile delevit amor, quo Ecclesiae pacem & unitatem dilexit, quam factiosi Basilaenses prava aemulatione, & retinendi dominatus seu potius usurpatae tyrannidis studio, scindere rursus ac lacerare, leve existimasse, ac pro nihilo duxisse videntur.

ARTICULUS TERTIUS.

De veris ac genuinis Eugenii IV. & Sedis Apostolicae sensibus statuendum non est ex iis, quae Eugenio per vim extorta fuerunt, sed ex iis, quae ante & post initam pacem sponte ac libere & ex animo pronuntiavit.

MIrum quantum Adversarii hanc Eugenii ad Synodum Basileensem adhaesionis formulam jactent, depraedicent, extollantque, & quam inde pro suis opinionibus mirabiles consecutiones eliciant. Non modo enim huic Decreto, utpote a Romano Pontifice consignato, & in generali Synodo sollenniter promulgato summam inesse contendunt & ineluctabilem auctoritatem; verum etiam valere volunt ad omnes controversias, quae Romanos Pontifices & Concilia generalia committere possint, irretractabiliter terminandas. Verum illi in utroque vehementer peccant. Nam neque Eugeniana illa adhaesionis formula ea pollet auctoritate, quam ipsi jactant; neque ullo pacto habenda est pro certa perspicuaque, & minime dubia ac prorsus irretractabili Constantiensium Decretorum per Sedem Apostolicam confirmatione.

Quod ad primum attinet, inter varias notas & conditiones, quibus insigniri debet Pontificium Decretum, ut firmum sit & indeclinabilem obtineat auctoritatem, prima est, ut Pontifex libere & ex animo, non vi aut necessitate premente, sententiam dixerit. Et merito sane ea primum in Pontificiis aut Conciliaribus Decretis conditio spectanda est, ut suam Pontifices aut Patres sententiam proferant, non alienae sententiae aut vi, aut metu gravissimorum malorum, quae ipsis aut Ecclesiae impendeant, coacti, ac repugnantes subscribant. Quod enim Spiritui Sancto, & ipsis videtur, illud divina auctoritate constat: *Visum est*, inquiunt, *Spiritui Sancto, & nobis*. Quum ergo comperta & explorata res est, Pontificem non ex animi sui sententia, sed malorum impendentium metu cuipiam Decreto subscribere, aut formulae adhaerere, nullum ejusmodi formulae vel decreto ex Pontificia subscriptione robur accedit. Sic Privilegium de Investituris, quod a Paschali II. Henricus V. Imperator extorsit, a centum plus minus Episcopis in Lateranensi Concilio *judicio Sancti Spiritus* damnatum est, & irritum judicatum,

catum, quod illud *contra deliberationem suam, pro redemtione Captivorum, pro pace populi, pro liberatione Ecclesiae*, sibi extorqueri Pontifex passus esset. Sic S. Athanasius in epistola ad Africanos eis graviter succensebat, qui Decretis Patrum anteferri volebant, quae ab Episcopis in Pseudo-Synodo Ariminensi per vim & metum expressa fuerant: *Quis non odio habeat illos, qui quae Patrum sunt, abrogant; recentiora vero Arimini per vim & metum extorta, anteponunt?*

Eugenium ergo procul ab hac fuisse sententia, quod ipse tanquam Romanus Pontifex Synodi generalis Decretis & coactivae potestati subjiceretur, & quod eam absque Patrum consensu dissolvere aut aliò transferre non posset, adeoque non ex animi sui sensu, sed malorum Ecclesiae impendentium metu, praescriptae sibi a Basileensibus formulae subscripsisse, exploratum est quam quod maxime. Postquam enim semel Concilium Basileense dissolvit, aut post annum cum dimidio Bononiam transferendum edixit, in quas per duorum & amplius annorum intervallum non se se angustias conjecit, quid passus, quid ausus non est, ut suam Sedisque Apostolicae auctoritatem adversus rebelles Basileenses tueretur? Quoniam supervacaneum esset omnia in hac caussa per eum gesta revolvere, ad ea tantum hic animum adjiciemus, quae propius ad pacem sequestre Caesare postmodum initam spectare videntur. Quum graviora Eugenium inter atque Basileenses dissidia ferverent, negante Eugenio, solutum Pontificio Decreto Concilium auctoritate pollere; Basileensibus vero solvi non potuisse, Pontificemque Synodalibus teneri legibus contendentibus; Romam appulerat Sigismundus, ut a Pontifice Imperiali Diademate redimiretur. Solennitate peracta, ea, ipso Sigismundo interprete, concordiae ratio inita est, ut Eugenius ex aequo & bono Concilium susciperet ac probaret, perinde atque in eam diem legitime propagatum fuisset. Quod ille, ut paci consuleret, amplexus est. Sed circa formam decreti hac de re editi gravis inter Pontificem & Basileenses difficultas exorta est. Scripserat, probante etiam Imperatore, Eugenius, gratum se ac ratum habere Basileense Concilium, perinde ac nulla pro ejus dissolutione seu translatione edita fuisset Apostolica Constitutio: *Volumus*, ajebat Pontifex, *& contentamur, praefatum generale Basileense Concilium a tempore inchoationis suae continuatum fuisse & esse ..... perinde ac si nulla commutatio, translatio, seu dissolutio facta fuisset* (a). Basileenses, ut nova semper jurgia ex aliis serebant, ac Pontificiam auctoritatem sibi subjicere moliebantur, ea verba; *Volumus & contentamur*, inique accepere. Postularunt enim ut Eugenius vulgaret, non modo tolerare se, propagatum fuisse, spretis Apostolicis imperiis, Basileense Concilium, verum decerneret ac declararet, rite ac legitime propagatum. Quam grave id Pontifici fuerit, & indignum majestate Apostolica visum sit, demonstrant ejus litterae ad Franciscum

(a) Raynald. ad an. 1433. num. 18.

cifcum Foſcarum Venetiarum Ducem, qui diſſenſionem componere ſtudebat. Perſpicere autem eſt in his litteris, quae paucis dumtaxat menſibus ante initam pacem datae ſunt, qui fuerint ad illam diem Eugenii de ſua Sediſque Apoſtolicae ſupra generale Concilium auctoritate ſenſus (a). Nam primum ſe ſe per litteras & nuncios ab Imperatore vexatum fuiſſe refert, ut omnino Baſileenſi Synodo morem gereret. Quod tamen ipſe conſtanter recuſarit, paratus ex Apoſtolicae dignitatis faſtigio potius excidere, aut etiam ex hac luce migrare, quam ut primus ipſe contra canonicas ſanctiones & ſuorum Praedeceſſorum exempla, Pontificiam majeſtatem, Sediſque Apoſtolicae dignitatem Concilio ſubjiceret. Quod quum nemo unquam a certo indubioque Pontifice exigere auſus eſſet, & Imperator poſtmodum acquievit, ut neque ab ipſo exigeretur. Quare quum Baſileenſes vellent expeterentque, decerni ac declarari, Synodum fuiſſe hactenus rite ac legitime propagatam, ſciente & conſentiente, probante & collaudante Imperatore, ea verba potius adſcita ſunt: *Volumus & contentamur*. Quamobrem mirum eſſe, quod Imperator, qui ſuam erga Synodum indulgentiam plurimum commendaſſet (b), nunc veluti praeteritorum oblitus, adhiberi ea verba velit, *quae tunc omnino rejecta fuerunt*: ut quae non recte ſentientibus arma eſſent ad Sedem Apoſtolicam oppugnandam. *Non eſſe autem tutum dare nocendi facultatem, ei praeſertim, qui jam nocere molitus eſt*. Denique perſuadere velit Baſileenſibus Imperator, longe honeſtius eſſe, *ut membra capiti haereant, quam caput membris*.

Conſenſit quidem poſt aliquot menſes Eugenius ad omnia, quae Synodus expetebat, iis etiam verbis adſcitis, quae concordiam retardabant: *decernimus & declaramus*, quae antea coram Imperatore tanta conſtantia rejecerat. Fregiſſe tamen Pontificis animum non modo impendentis ſchiſmatis metum, in quod Baſileenſes praecipites ferebantur, & quod rurſum univerſam vaſtaturum & laniaturum eſſet Eccleſiam; verum & graviſſima mala, quibus jam a Ducis Mediolanenſis copiis, aliiſque rebellibus ac ſeditioſis, Eccleſiae Romanae ditiones premebantur, & quae jamjam Romae ipſi ſibique imminebant; tum per ſe ſe abſque alio teſtimonio per quam credibile eſt, tum etiam apud Turrecrematam (c), plures

(a) Primum, ut paullo altius repetamus, quum inſtitiſſet nobiſcum litteris & nunciis, ut Concilio illi haereremus omnino, hoc recuſavimus. Potius enim hanc Apoſtolicam dignitatem & vitam ipſam poſuiſſemus, quam voluiſſemus eſſe cauſſa & initium, ut Pontificalis dignitas, & Apoſtolicae Sedis auctoritas ſubmitteretur Concilio contra omnes canonicas ſanctiones, quod nunquam antea neque aliquis noſtrorum Praedeceſſorum fecit, neque ab ullo extitit requiſitum. Atque in hoc ipſe poſtmodum Imperator acquievit.

(b) Multiſque praeterea verbis pluries in noſtram laudem prolatis, aſſeruit nos plus feciſſe quam deberemus, & ultra quam teneremur, & quod Baſileenſes ultro acceptare debebant. Quod ſi recuſarent, mirabilia adverſus illos pollicitus eſt ſe eſſe facturum.

(c) A pluribus magnae probitatis & gravitatis Viris dictum in Curia eſt, quod

res gravissimi ac probatissimi Viri testati sunt. Ad hanc tantam, inquit Henricus Spondanus (a), ut multi vocarunt, animi vilitatem seu pusillitatem descendere, tam metus schismatis, & Imperatoris ceterorumque Principum violentissimae suasiones compulerunt, (quod etiam Turrecremata testatur) ; quam factae in eum undique conspirationes Philippi Ducis Mediolanensis instigatione : qui arma in eum movens per Franciscum Sfortiam generum sibi adsumtum, & Nicolaum Fortebraccium, qui prius Eugenio militaverat, Duces insignes, ingenioque ac manu promtos, aliosque in eum concitatos, adeo profecit, ut paucis locis in fide permanentibus, cetera omnia, tota Italia ad Ecclesiam pertinentia, qua vi, qua arte, qua proditione, qua rebellione ab Eugenio desciverint.

Turrecrematae aliorumque apud eum hac de re judicia & testimonia Meldensis Episcopus despicit, & tanquam nugas exsibilat, quas Aulici gratis jactarint (b) : ,, Bullas ergo, ,, quibus Eugenius dissolutionem suam ,, nullam esse judicavit, vi extortas ,, fuisse, Turrecremata significat, id- ,, que a pluribus magnae gravitatis ,, Viris dictum esse in Curia. Esto ,, dictum ab Aulicis; sed nullis actis ,, probatum, nullo Scriptore prodi- ,, tum, & ab ipso Eugenio negatum: ,, qui nimirum apud eumdem Tur- ,, recrematam, Florentiae in dispu- ,, tatione publica dixerit: *Nos qui-* ,, *dem bene progressum Concilii ap-* ,, *probavimus volentes*. Non ergo ex- ,, tortae Bullae: atque illi Viri gra- ,, ves, qui id in Curia dicerent, ,, nugabantur. Verum, ut paullo ante dicebam, etsi nullus Turrecremata, nulli graves probique Viri id unquam testati essent; quis tamen hinc mente recolens, quam ille hactenus Pontificiam adversus Concilium, quod se pro Oecumenico gerebat, auctoritatem fortiter & alacriter propugnasset, & quam ad eam sententiam de Sedis Apostolicae supra generalem Synodum potestate firmiter ac tenaciter adhaesisset; hinc vero animum advertens ad gravissima mala, quae & Ecclesiae imminebant, & quibus Eugenius undique premebatur; non statim suspicaretur, in eamque se se opinionem induceret, Eugenium non ex animi sui sententia, sed vi metuque coactum, praescriptam sibi a Basileensibus formulam suscepisse? Id vero non modo ab Henrico Spondano, Odorico Raynaldo, aliisque nostrarum partium Historicis memoriae proditum est, verum & iisdem alienarum partium Scriptoribus facile adprobarunt, quos inter Jacobus Lenfant: ,, Eugenius IV. *inquit* ,, (c), non minus pressus in Italia ,, a Me-

praefatae Bullae magis extortae fuerunt minis, quam de mente D. Eugenii emanaverint. Nam, ut fertur, D. Andreas Venetus Dominii Venetorum tunc Orator, & aliqui DD. Cardinales tunc apud D. Eugenium praesentes, timentes futurum magnum scandalum in Ecclesia, minati sunt praefato D. Eugenio, quod nisi Bullas illas adhaesionis concederet, ipsum solum recedentes relinquerent, praefato Domino in lecto decumbente, praefati Domini referuntur Bullas illas taliter qualiter expedivisse, & misisse Basileam. *Lib. II. de Eccles. cap. C.*

(a) Ad an. 1433. num. XXVII.

(b) Cap. IV.

(c) Eugene IV. non moins vivement pressé en Italie par le Duc de Milan,

,, a Mediolanensium Duce, quam ,, in Germania a Synodo Basileensi, ,, ad extremas incitas redactus erat ,, ... Itaque opus fuit, ut sibi ab ,, instituto consilio transferendae Bo- ,, noniam Synodi temperaret, quod ,, hinc Mediolanensium Princeps, in- ,, de Veneti minarentur, se illi aper- ,, to marte bellum indicturos, nisi ,, ab indicta translatione abstinuisset, ,, atque una tulisset, ut Basileense ,, Concilium haberet exitum. *Et* ,, *infra*: Interea quum minis Medio- ,, lanensium Ducis, qui ut Legatum ,, Concilii in Italia se se gerebat, ,, extorta haec fuisset Eugenio cum ,, Synodo Basileensi conventio &c.

Non est ergo quod Adversarii tantopere jactent Basileensis formulae ab Eugenio subscriptae, & in Basileensi Synodo promulgatae auctoritatem. Ea est hujusce Decreti vis, quae Privilegii *Investiturarum*, quod olim Paschali II. Henricus V. extorsit; aut quae gestorum Ariminensium, postquam Imperatoris tyrannide libertas Patribus ademta est. Nam quemadmodum Paschalis II. antequam sibi, & Clero Populoque Romano extrema mala imminerent, Imperialem illam usurpationem, suorum Praedecessorum vestigiis inhaerens, fortiter constanterque damnavit; & quemadmodum Patres Ariminenses quum sui juris essent, Nicaenae Synodi fidem liberrime asseruerunt: ita & Eugenius summam Apostolicae Sedis auctoritatem fortiter & alacriter propugnavit, donec impendentium & sibi & universae Ecclesiae malorum timore labefactata ejus constantia est. Quis ergo, ut olim Athanasius Arianis, ita iis non succenseat, *qui quae Patrum sunt, abrogant*; hoc est, qui nihili facienda existimant, quae Eugenius ex animi sui sententia, & ex veterum Patrum, Conciliorum, Pontificumque decretis, de sua Sedisque Apostolicae auctoritate disseruit; *recentiora vero per vim & metum extorta, anteponunt?* Nam rursus, quemadmodum Paschalis II. & Patres Ariminenses, statim atque illis respirare datum est, latentes in imo pectore atque intime haerentes pietatis sensus libere iterum praedicarunt: ita, ut postea videbimus, & Eugenius resumto deinde spiritu, oppressam Sedis Apostolicae auctoritatem non minus excelso quam antea fecerat animo vindicavit: unde adeo de sinceris ac genuinis ejusdem Eugenii sensibus statuendum est. Ac proinde ea non est, quam Meldensis Episcopus & Parisienses Theologi jactitant, Eugeniani Diplomatis auctoritas; ut, quod invito ac reluctanti Pontifici per vim & metum extortum est.

At quamquam hoc libertatis defectu minime laboraret, non ideo pro certa & indubia, & ineluctabili Constan-

qu'en Allemagne par le Concile de Basle, étoit réduit aux plus dures extremitez..... Il fallut pourtant qu'il se desistât du dessein de la translation à Bologne, parce que d'un coté le Duc de Milan & de l'autre les Venitiens le menaçoient de lui faire une guerre ouverte, s'il ne renonçoit à cette translation, & s'il ne consentoit à la continuation du Concile de Basle .... Cependant comme cette reconciliation avec le Concile avoit été extorquée par les menaces du Duc de Milan qui se portoit en Italie pour le Legat du Concile &c. *Hist. du Concil. de Basle. Liv. XVII. numer. XXIX. &c.*

ſtantientium Decretorum confirmatione habendum eſſet. Quod a nobis ſub Articuli initium ſecundo loco propoſitum ad ſequentia Capita fuſius ediſſeretur.

C A P U T I I. &c.

„ Ex antedictis Conſtantienſia Dog-
„ mata confirmantur.

IN hoc & duobus ſequentibus Capitibus Boſſuetius plura congerit argumenta, quibus invicte probari ac demonſtrari judicat, Eugenium IV. Synodi Baſileenſis diſſolutionem, & quaecunque in eam geſſerat, decreverat, & promulgarat, irrita declarando; Synodum autem ipſam velut hactenus legitime propagatam pure, devote ac ſimpliciter ſuſcipiendo, Conſtantienſia de generalium Conciliorum ſupra Romanos Pontifices poteſtate dogmata, Baſileenſibus decretis inſerta, ſuſcepiſſe, & Apoſtolica auctoritate firmaſſe: quae ubi in unam & eamdem conſpirat cum Synodo generali ſententiam, indeclinabilis ſit, & controverſiis irretractabiliter ſanciendis ac terminandis idonea: „ Primum,
„ *inquit*, Eugenius noverat e Seſſio-
„ ne II. III. XII. Baſileenſi, ante
„ & poſt diſſolutionem, Conſtantien-
„ ſia Decreta Seſſionis V. repetita
„ & conſtabilita eſſe, ut quae vera
„ certaque Concilii Oecumenici ubi-
„ que approbati decreta eſſent: at-
„ qui Concilio Baſileenſi ita praedi-
„ canti ac decernenti adhaeret, &
„ legitime continuatum eſſe confir-
„ mat: Ergo Conſtantienſia Decreta
„ valere intellexit, valere voluit,
„ nedum ſuſpecta, aut infirma, aut
„ revocanda putaret. Ac tale fuiſſe jactat illud Eugenii Decretum, quo ſeſe Baſileenſi Synodo adhaerere profeſſus eſt, & Conſtantienſia dogmata valere voluit „ ut nullum ritu ſolem-
„ niori promulgari poſſit, quippe
„ quod fuerit in Oecumenica Syno-
„ do promulgatum, ac Synodi ſen-
„ tentia roboratum. Unde conſequens eſt, abſonum plene eſſe & cum ſumma temeritate conjunctum, ea dogmata retractare velle, & in controverſiam adducere; quum nulla ſit major & firmior auctoritas, quam quae ex Sedis Apoſtolicae & Synodi Oecumenicae conſenſione firmitatem habet: qua proinde quae ſemel conſtabilita & firmata ſunt, immota ea conſiſtere neceſſe ſit; quaeque adeo irrito prorſus conatu quiſquam concutere & labefactare contendat: „ No-
„ tent, *inquit in fine Capitis IV.*
„ damnent, improbent quae tantis
„ in diſſidiis Sedes Apoſtolica com-
„ probavit; evertant quae fundamen-
„ ti loco magna conſenſione utrin-
„ que ſunt poſita: ſuo certe ponde-
„ re firma erunt; ad quae quiſquis
„ impegerit, ſe potius quam illa
„ confringet. Quae certe nemo jactarit, niſi de iis, quae ſumma & ineluctabili auctoritate conſtituta ſunt. Quae tamen jurene ſolideque jactata ſint, an potius immerito leviterque, cum ex dictis ſatis aperte colligitur, tum etiam ex his, quae modo ſubjungimus, magis perſpicue luculenterque conſtabit.

ARTI-

ARTICULUS UNICUS.

Quamquam Eugenius IV. Basileensi Synodo adhaesit, eamque velut jure ac legitime propagatam haberi voluit: non tamen ejus Decreta, eisque inserta Constantiensis Synodi Constituta, Apostolica auctoritate firmavit.

HAbemus hac de re apud Turrecrematam (a) locuples ac disertum ipsius Eugenii testimonium. Nam Cardinali Juliano Florentiae in publica & sollenni coram ipso Pontifice & Cardinalibus hoc de argumento disputatione, Bullas objicienti, quae in Synodi Basileensis confirmationem editae fuerant, Pontifex ipse respondit: *Nos quidem bene progressum Concilii approbavimus, volentes ut procederet, ut incoeperat: non tamen approbavimus ejus decreta.*

Haec narranti Turrecrematae, hisque insistenti ad labefactandam Basileensium Decretorum auctoritatem, reponit Bossuetius: „ Tunc ergo ejusmodi colloquiis dictisque, quorum penes te fides, evertenda aut „ etiam interpretanda putas ea, quae „ Synodice gesta, decreta, judicata, „ & approbata sunt. Quid hac responsione sibi velit Illustrissimus Adversarius, equidem non intelligo. Non enim hic quaerimus, quid in Concilio Basileensi Synodice gestum, decretum, judicatum, & adprobatum sit; sed quae illius Synodi gesta, decreta, & judicia, & quo sensu ea Pontifex adprobaverit.

Eamdem tamen responsionem adhibet & Odorico Rainaldo objicienti, Eugenium, quum ea faceret, pacis studio, jure suo cessisse, idque ab ipso ad Imperatorem esse perscriptum. Reponit enim Bossuetius: „ Illud perscriptum quidem Epistola „ privata, sed ejusmodi epistolis negamus, *inquit*, jura contineri. „ Tu mihi id respice quid Synodice „ gestum sit. Sessione XIV. Concilii Basileensis non id a Pontifice „ postulatum, ut jure suo sponte decederet, sed ut perperam incoepta jussu Synodi omitteret atque revocaret. Sessione XVI. Eugenius „ a Synodo admissus est, ut qui Synodi monitioni ac citationi satisfecisset, hoc est procul dubio paruisset: totam ipse caussam in Synodi potestate esse professus est; sed „ jussus, ut vidimus, sed praescripta formula; non ergo jure suo sponte decessit, qui ex lege in ipsum „ lata egit. Ergone quicumque alteri inique imperanti, ad avertenda graviora mala sibi ac Reipublicae impendentia, cedit, seque illi subjicere videtur, & leges ab eo quamlibet iniquissimas sibi praescribi patitur, is jure suo decedere negandus est? Jura ergo non penes eum erunt, qui optimis rationibus innitatur, sed qui majori potestate praeditus sit; adeoque Tyranni quaecumque per vim & tyrannidem agunt, jure agere censendi sunt; Respublica vero quidquid ab eis patitur, & quaslibet leges accipit, jure accipere ac pati dicenda est. Et si aliquando mussitet, aut privata Epistola alicui scribat, se pacis

(a) Lib. II. de Eccles. cap. C.

cis studio jure suo cessisse, negandum erit, his epistolis jura contineri; objiciendumque, non id cogitasse tyrannum, quum ei in publicis comitiis has & has leges praescripsit, ipsa vero imperanti cessit, ac leges dictanti humillime paruit. Hoc ergo Meldensis Episcopi responsum est. Querebatur Eugenius iniquissimas sibi a Basileensibus pacis conditiones praescribi: negabat id certe Synodus, quae se jure in eum agere contendebat. Ne ferale scisma in Christiana Republica excitetur, cedit Synodo Pontifex; at pacis studio se jure suo cessisse, ad Imperatorem, perscribit. Negat Bossuetius ejusmodi litterarum habendam esse rationem, quoniam alia mens Synodi fuerat, quum leges Eugenio daret, & quum sibi illum satisfecisse declaravit.

Verumtamen, ut paullo ante dicebam, non hic quaeritur, quid Synodus senserit, quaeve illius sententiae auctoritas tribuenda sit; sed quae Pontificis mens fuerit, quaeve ex illius ad Synodum ex praescripta formula adhaesione in ejusdem Synodi decreta auctoritas derivarit. Nobis autem Pontificiae mentis melior graviorque non occurrit interpres quam Pontifex ipse; quem adeo prae ceteris audiendum esse contendimus. Duo autem, ut vidimus, ex ipso Pontifice habemus. Primum est, probasse eum quidem Synodi progressum, non tamen ejus decreta. Alterum est, quod Synodi progressum adprobando, jure suo pacis studio decessit. Quae duo si invicem conjungantur, & prae oculis habeantur, facile omnia profligantur argumenta, quibus se Illustrissimus Adversarius mirifice jactat.

Quod ut facilius & luculentius praestetur, observandum imprimis est, generatim loquendo fieri optime posse, quod Romanus Pontifex cuipiam Synodo tanquam jure ac legitime habitae adhaereat, eamque probet; nec tamen omnia illius decreta confirmet, rataque habeat. Sic S. Leo & sequuti Romani Pontifices Chalcedonensi Synodo adhaeserunt, eamque summo studio commendaverunt; nec tamen illius postremum Decretum adprobarunt, nec rata illico habuerunt, quae in illa praeter fidei causam decreta sunt. Ergo absolute loquendo, potuit Eugenius Synodi Basileensis progressum legitimum declarare, nec tamen omnia illius Decreta probare.

Dixi, *generatim loquendo*, hoc est nisi specialis aliqua ratio aut difficultas impediat, quae hic statim se se objicere videtur. Quum enim Eugenius Synodum ante solvisset, idque se jure ac legitime fecisse, acerrime hactenus propugnasset: contra autem Synodus, Constantiensibus nixa decretis, ab ea non semel inculcatis & confirmatis, Eugenium Apostolicae potestatis jura limitesque praetergressum esse, ac propterea irrita esse quaecumque in eam constituta ab illo fuerant, vehementissime contendisset, & licet invito ac reclamante Pontifice, Oecumenicae sibi titulum & auctoritatem arrogasset: non videtur potuisse laudatus Pontifex Basileensem Synodum velut hactenus legitime habitam & continuatam suscipere, eique pure ac simpliciter adhaerere, quin ejus & Constantiensium Decretorum auctoritatem agnosceret; quae nimirum Synodum semel coactam Romani Pontificis po-

testati eximebant. Nisi enim id constitutum, & fundamenti loco positum fuisset, valuisset utique decreta ab Eugenio Synodi dissolutio, valuissent etiam quaecumque in sibi obsistentem Synodum decrevisset, nec ea Basileae jure ac legitime subsistisset. At, Eugenio quoque judice, irrita fuit Synodi dissolutio, irrita etiam quaecumque in eam variis editis Bullis decreverat, eaque etiam post dissolutionem Basileae jure ac legitime propagata est: Ergo, „Eugenio quo„ que judice, inquit Meldensis Epi„ scopus, superior est Synodus, quae „ ab Eugenio dissoluta, Eugenio re„ nitente ac tandem obtemperante, „ stetit & valuit, quia, ex dissolu„ tione fidei periculum, Ecclesiae „ scandalum, reformationis necessa„ riae mora; quanto ergo magis Sy„ nodus praevaleret, si quod maxi„ me quaerimus de fide, de schis„ mate, aut de reformatione directe „ ageretur?

Haec summa est argumentorum, quae in his tribus Capitibus Meldensis Episcopus urget, quibus facile occurritur, si prae oculis habeatur, Eugenium, quum haec faceret, pacis studio juri suo cessisse, idque ab ipso ad Imperatorem esse perscriptum: *Accepimus*, inquit (a), *exhortationes tuas ..... & acceptavimus Decretum illud Concilii Basileensis ...... Verum quidquid fecimus, sub spe tua & tuo moti consilio fecimus, pro pace Ecclesiae & bono Populi Christiani, voluimusque potius cedere de jure nostro, tui contemplatione & pro salute fidelium, quam perstare in conservanda dignitate & auctoritate nostra & Apostolicae Sedis. Itaque quum secundum exhortationes tuas & consilia sit per nos Decretum illud, prout videre poterit tua sapientia, acceptatum, tuum est munus proprium & opus tueri, & defendere Nos juraque nostra & Romanae Ecclesiae, ac agere ut Sedes Apostolica in sua dignitate & auctoritate conservetur.* In quibus verbis plura notanda sunt, unde variae consecutiones proficiscuntur, quibus tota haec controversia in optimo lumine collocatur. Nam primûm ait, quod Caesaris consiliis permotus, & propter ejus exhortationes, decretum illud Basileense susceepit, non ergo decretorum Basileensium aut Constantiensium auctoritate permotus. Secundo pro Ecclesiae pace, pro Christianae Reipublicae bono, & pro salute fidelium, Basileensi Concilio ex praescripta formula se se adhaesisse significat; non ergo sponte & ex animi sui sententia Synodo adhaesit, sed metu coactus malorum, quae Ecclesiae jam imminebant, ejusque pacem perturbatura erant. Tertio, se jure suo cessisse profitetur, nec integram inviolatamque praestitisse, ut jure poterat, & alias debuisset, suam Sedisque Apostolicae dignitatem atque auctoritatem; ergo si jure agere voluisset, totaque Sedis suae auctoritate uti, non ipse Synodo morem gerere, sed Synodum ipsam ad obsequium compellere debuisset. Quae omnia plane demonstrant, nullam ab Eugenio, quum Basileensi Synodo adhaesit, Basileensium aut Constantiensium Decreto-

(a) Epist. ad Sigism. Imp. ap. Rayn. ad an. 1434. num. 3.

cretorum habitam esse rationem: & Synodi quidem Basileensis progressum intuitu Caesaris, ejusque suasionibus & consiliis permotum, pro Christianae Reipublicae tranquillitate & incolumitate ratum habuisse, non tamen ejus adprobasse decreta, ex quibus semel probatis atque susceptis consequens fuisset, Synodum invitam ac repugnantem jure a Pontifice non potuisse dissolvi, & irrita esse quaecunque in eam Pontifex constituerat, nec proinde illum jure suo cessisse, quum Synodum Basileensem velut jure ac legitime propagatam amplexus est.

Hinc porro etiam efficitur, quod quanquam pro illis verbis, *volumus & contentamur*; quae Synodus rejecerat; haec verba, *decernimus & declaramus*, adsciverit; verbis licet diversis unam tamen & eamdem inesse voluisse sententiam; ut scilicet decreverit ac declararit, Synodum eo loco habendam esse, ac si legitime continuata fuisset; quascumque vero ipse ediderat in Synodum Apostolicas Constitutiones perinde spectandas esse ac si nunquam emanassent, aut irritae ab ipsa earum promulgatione fuissent. Hanc certe Eugenii fuisse mentem, cum ex dictis colligitur, tum etiam ex eo, quod quum de pace ageretur, temperari ab hac disceptatione voluit, potiorne esset Pontificis auctoritas an Concilii: quae tamen tum maxime disceptanda fuisset, si ex jure in hoc negotio procedere voluisset. Sed quoniam, ut quidam ex ejus Oratoribus ait (*a*), *de jure suo etiam clarissimo non parum concedere pro scandalo evitando tenuerat, firmiterque decreverat*, ideo abstineri a disceptationibus voluit; summam nullique in terris obnoxiam Pontificiae Majestatis excellentiam simpliciter asseruisse contentus, *ne jura*, ut idem ait, *& potestates Sedis Apostolicae contemni & comprimi, conniventibus oculis pati videretur*. Id quod etiam aliis ad Synodum Oratoribus in mandatis datum a Pontifice est, ne videlicet disputationem ferent de Sedis Apostolicae potestate ad revocandam necne semel coactam Synodum Oecumenicam: *Nobis* (*b*) *datum est in mandatis, ut super hujusmodi potestate non disputemus; ideo an legitima & justa fuerit, non est nostrum decidere. Vos moveamini ex juribus scriptis & conscientiis vestris*. Quae verba sunt jus certe suum agnoscentis, sed illud tamen prosequi & urgere nolentis coram non aequis Judicibus, sed infensissimis Adversariis, omnia potius susdeque miscere paratis, quam ut sibi eripi sinerent semel usurpatam in Christiana Republica potestatem. Denique Franciscus de Capitibus Liste, unus ex Venetorum Oratoribus; qui mandatum a suo Dominio acceperant, ut sese pacis & concordiae sequestros offerrent, quique mentem Pontificis optime perspectam habebant; disputationibus insistendum non esse monuit, vix enim hac ratione posse aliquid confici. Igitur (*c*) *quaerendum non esse; An sacra Concilia sine Papae auctoritate teneant, vel non: Utrum Concilium Constantiense & illius Decreta teneant, vel non: quia illa disputatio non esset forsan*

(*a*) Ab. de Moniac. ap. Marten. Tom. VIII. nov. Collect. pag. 545.
(*b*) Archiep. Spalat. ibid. pag. 656.
(*c*) Ibid. pag. 666.

tasse utilis ut vellemus. Quia nimirum talia adferrentur ad asserendam Romani Pontificis potestatem, & infirmandam Constantiensium Decretorum auctoritatem, argumenta, ut si his Pontifex niti vellet, nunquam ad ea consensurus esset, quae Synodus exigebat. Omittendas ergo esse inutiles disputationes, quandoquidem Eugenius non ultra juri suo insistere decrevisset, sed pacem & concordiam instaurare, quaecunque ab eo Synodus exegisset: *Ne igitur propter hujusmodi disputationes inutiles retardetur pax, quies & concordia ..... supplicamus, ut si quid Bullis restat addendum, id totum petatur, & habebitur*. Tantum igitur abest, ut Basileensia & Constantiensia Decreta, quae Concilia Oecumenica supra Romanos Pontifices efferunt, Eugenius, Synodi progressum adprobando susceperit, ut ne de his quidem disputari voluerit; non ea profecto ratione, quod ea retractari non posse existimaret; sed quia *de jure suo etiam clarissimo non parum concedere*, pro sedanda turbatione & pace restituenda, decreverat.

Unde facile solvuntur quaecumque hic Illustrissimus Adversarius congerit argumenta. Ea enim valerent utique, nisi certo constaret, Eugenium haud ex animi sui sententia, sed ut suasionibus votisque Principum morem gereret, & extrema averteret mala, quae Christianae Reipublicae imminebant, Synodo Basileensi velut hactenus legitime celebratae adhaesisse, eique sic adhaerendo, se jure suo etiam clarissimo decedere existimasse. At quandoquidem constat, laudatum Pontificem non Basileensium aut Constantiensium Decretorum auctoritate, sed Principum consiliis permotum; non velut jure illis decretis obnoxium, sed tanquam jure suo decedentem, non denique velut jus suum in unum coactis Patribus tribuendi, sed pacis restituendae studio, & Synodum ratam habuisse, & quas in eam ediderat constitutiones, & quas impresserat notas, velut irritas revocasse; nihil omnino aliud his argumentis confici potest, quam Constantiensia Decreta fuisse in eum statum restituta, unde ea dejecisse Eugenius videri poterat, summa Sedis Apostolicae auctoritate invitam ac reluctantem Synodum dirimendo. Quod quum quisque per se facile perspicere possit, ad singula Meldensis Episcopi argumenta suas aptare responsiones, non esset, opinor, operae pretium. Unum hoc tantum praeterea monebimus, haud bona fide agere Bossuetium; quum Capite tertio Bullam, *Deus novit*, inscio Pontifice promulgatam, obtrudit tanquam ipsius Pontificis scriptum e Cathedra emissum, totaque Sedis Apostolicae auctoritate munitum: „ Eugenius ... dissolutione nondum „ revocata, haec edixit, & quidem „ *universis Christifidelibus*, ne Eugenii „ ut privati Doctori scriptum esse re„ spondeas. Subjecitque unum & alterum ex ii quas dixi litteris testimonium; quas nemo nescit ab Eugenio pro suis agnitas non fuisse, nec ipsius etiam fuisse consensione vulgatas. Quare nullius est ponderis argumentum, quod hujusce Bullae verbis innititur. Sed Eugenii mens longe adhuc nobis ex iis, quae postmodum contigerunt, exploratior erit.

CA-

CAPUT V.

„ De secundo Basileensi dissidio : „ Quid ab initio reconciliatae gratiae usque ad secundi dissidii initium a Synodo gestum sit per „ biennium.

Mira se in obsequium Pontificis & Apostolicae Sedis facturos promiserant Basileenses, si eorum votis annuens, Synodo, quam diremerat, ex praescripta formula adhaesisset: *Quod si fecerit sua Sanctitas, nemo erit nostrum, qui pedes ejus ut Beati Petri non osculetur, quem ut Vicarium Christi non honoret: erit Concilii Caput, omnes ad eum respicient, omnes ei complacere, obsequi, & quantum cum Deo poterunt, deservire curabunt. Offerimus etiam quidquid dici aut excogitari potest nos fidelissime facturos, quantum cum Deo fieri poterit, pro honore & statu tam suae Sanctitatis, quam omnium suorum.* Quid his promissis desiderari potest magnificentius? Iis tamen, quod futurum praesenserat Eugenius (a), non steterunt Basileenses; sed perinde ac Synodo id tantum negotii datum esset, vel ad hoc unice convenisset, ut Pontificem in ordinem redigeret, & sacratiora Sedis Apostolicae jura convelleret, eo quo coeperant pede ire hoc biennio perrexerunt, & graviora etiam in Pontificiae Majestatis depressionem moliti sunt; nullaque fere ex decem sequentibus sessionibus habita est, in qua non sit aliquid constitutum, quo ea gravissime laederetur. Ut quod Sessione XVI. Legati Sedis Apostolicae ad praesidendum Concilio admissi non sunt, nisi dato sacramento de tuendis Constantiensibus Sessionis V. Decretis. Quod Sessione XVII. iisdem Legatis adempta est jurisdictio coactiva, statutumque est, ut quae Synodus decerneret, ipsi, aut ipsis absentibus vel recusantibus, primus Praelatorum Synodi nomine concluderet ac pronuntiaret. Quod Sessione XVIII. saepius memorata Synodi Constantiensis decreta rursus in medium adtulerunt, inculcarunt, & confirmarunt. Quod Sessione XIX. plura cum Graecis Oratoribus inconsulta Sede Apostolica pepigerunt, quamquam eos non lateret, pendere adhuc quemdam inter Eugenium & Graecorum Imperatorem & Patriarcham tractatum, ad quem perficiendum suos Constantinopolim Oratores direxerat. Qua de re gravissime cum Basileensibus Eugenius conquestus est. Quod Sessione XXI. *Annatas*. seu medios fructus unius anni, quos pro novis *Beneficiis* Pontificis aerario inferunt, omnino sustulerunt, frustra refragantibus Apostolicae Sedis Legatis, Johanne Archiepiscopo Tarentino, & Petro Episcopo Paduano, Eugenii nomine protestantibus (b), *rem iniquam esse, inaudito Pontifice, tantum praejudicii, tantum detrimenti Romanae Ecclesiae inferri, & annatarum & minutorum solutiones, jampridem a Romanis Pontificibus introductas, ab universo Clero susceptas, a pluribus generalibus Synodis non violatas, injuste nunc auferri &c.*

(a) Epist. ad Franc. Fosc. Duc. Venet. apud Rayn. ad an. 1433. n. 19.
(b) Aug. Patr. Hist. Conc. Basl. &c. cap. XLIV.

ri &c. Quod Sessione XXIII. multa de electione ac professione Summi Pontificis, de numero & electione Cardinalium, de sacris electionibus celebrandis, de tollendis reservationibus, de Clementinae litteris, decreta sunt, quibus tanquam pro imperio & potestate agentes amplissimam Sedis Apostolicae Romanique Pontificis auctoritatem, velut sanctissimis legibus coërcebant. Quod Sessione XXIV. cui decem tantum Episcopi & tredecim Abbates interfuerunt (a), nulla accepta a Pontifice potestate, amplissimam noxarum veniam iis elargiti sunt, qui stipem transvehendis in Occidentem Graecis erogaрent; *reclamantibus Legatis Apostolicis, ac ne hujusmodi decretum Indulgentiarum ederetur, frustra intercedentibus*, ut ab Augustino Patritio memoriae proditum est. Denique quod Sessione XXV. in duas factiones discissa, *magna pars Patrum, quae*, ut habent Acta Patritiana cap. LIV. *Pontifici erat infensa, & Concilium*, pro unione Graecorum, *in Italia nullo pacto volebat*, Avenionem aut Sabaudiam pro loco futurae Synodi designavit.

Ex hac rerum hoc biennio gestarum narratione patet, Basileenses statim post instauratam pacem publicum veluti & apertum bellum optimo Pontifici indixisse, suaque, ut optime Cl. Martene animadvertit (b), Concilii supra Papam superioritate inflatos, quasi praecipuum eorum munus esset, deprimere & conterere Papam, nullam eum molestandi & irritandi occasionem praetermisisse. Sic illi promissis steterunt, quibus quum de pace ageretur, Imperatori quidem aliisque Principibus, non autem Eugenio, fucum facere potuerunt; qui, ut antea monuimus, tutum non esse judicaverat, dare nocendi facultatem eis, qui jam nocere moliti fuerant. *Qui enim*, inquit Duci Venetiarum scribens, *nulla antea auctoritate fulti, laxaverunt contra nos suas animi passiones, [ut dicamus leviter] quid agent, quum nacti fuerint agendi prout libuerit potestatem?* Quae inconsulta ipsorum agendi ratio eo magis improbanda est, quod, ut Martene mox laudatus observat, post revocatam ab Eugenio dissolutionis Concilii Bullam cum eis in omnibus pacifice agere consueverat, requisitusque in rebus magni momenti assensum libenter praebebat, multas etiam minoris momenti caussas eis remittebat. Ut certe nescias quid magis admireris, patientiamne piissimi Patris ejusque longanimitatem, an rebellantium filiorum temeritatem & imprudentiam. Sed his tandem occurrendum fuit, ne si omnia dissimularet, suam Sedisque Apostolicae caussam prodere videretur. Quod ille qua ratione praestiterit, sequenti Capite declarabitur.

CAPUT VI.

„ Quid per idem tempus ab Eugenio IV. sit gestum.

QUum ergo Basileensium audaciam Eugenius diutius ferre non

(a) Aug. Patr. Hist. Conc. Basil. cap. LII.
(b) Praefat. in Tom. VIII. nov. Collect. num. 67.

non posset, Legatos misit toto orbe terrarum, suo sacrique Collegii Cardinalium nomine, apud Imperatorem, Reges & Principes de Synodo conquesturos, Libello seu commonitorio instructos, ex quo ab illis temere gesta depromerent, & in omnium gentium oculis constituerent. Quamquam vero hoc Monumentum quod a Raynaldo ad an. 1436. Eugenii sextum, vulgatum est, procul absit a Decreti publici auctoritate, ex eo tamen aliquot loca decerpam, in quibus veri ac genuini & ipsius Eugenii, & Ecclesiae Romanae de Pontificia auctoritate sensus luculentissime repraesentantur.

Ac primo quidem is prae oculis habendus est, in quo Pontifex queritur, ipsius Legatos praeter morem in Conciliis Oecumenicis hactenus observatum, admissos in Synodum non fuisset, nisi eis prorsus abrogata omni jurisdictione & potestate coactiva, veluti Romanus Pontifex, quem illi repraesentabant, Ecclesiae & Concilii Caput non esset, sine cujus consensu & auctoritate nihil jure, quod ad fidem aut generalem Ecclesiae disciplinam pertineat, in Synodis Oecumenicis statuatur. At contra Basileenses, cum per aliquot menses post instauratam Synodum disceptasse, an Pontificios Legatos admitterent ad praesidendum Concilio, tum eos admittere quidem decrevisse *ad praesidentiam*, ut vocant, *honorariam*, sed absque ulla potestate coactiva; tum denique statuisse, ut iis recusantibus, Synodi nomine, proximi post eos Praelati concluderent, ac praesidentis munus exercerent: perinde ac si in Concilii potestate esset, praeter Romanum Pontificem ejusque locum tenentes, alium sibi Praesidem constituere. Quod ab eis tamen prioris dissolutionis tempore tentatum est, & multo tempore observatum. Id vero *non tam erroneum* esse pronuntiat Eugenius, *quam periculosum & piarum aurium offensivum, necnon ab omni observatione & doctrina Sanctorum Patrum alienum*.

„ Atqui illud erroneum, inquit Bossuetius, atque a doctrina Patrum „ alienum ipse Eugenius confirma„ vit, dum Synodum a se disso„ lutam male, bene continuatam „ esse, edito Diplomate definivit. Atqui, inquam, vel hinc discere aperteque colligere debes, aut illud Diploma invito ac reluctanti & praeter animi illius sententiam, per vim & metum extortum fuisse, aut Diplomatis verba in eam quam supra diximus mentem interpretanda esse, ut nimirum pacis studio Eugenius velut rata haberi voluerit, quae irrita esse noverat; & contra irrita esse decreverit quae jure suo valida esse intelligebat.

Pergit, innovasse illos duo Concilii Constantiensis Decreta, ea praeter Patrum mentem ad certos & indubios Pontifices, *in magnum Ecclesiasticae Monarchiae periculum* proferendo; unde consequi videatur, neque ab Ecclesia Romana, prout omnes Catholici Doctores profitentur & docent, Concilia Oecumenica, auctoritate Apostolica congregata, robur habere ac potestatem, neque in Romano Pontifice, Christi Vicario, & Ecclesiae fideique Petra, velut in fundamento, ea immota consistere, & inconcussa aucto-

rita-

ritate pollere : *Quod nemo unquam fidelis & doctus dicere praesumsit* . Semel enim constituto , Romanum Pontificem , non secus atque alium quemlibet Episcopum , Conciliorum generalium decretis obnoxium esse, constitutis poenis , si ea transgrediatur , puniendum ; summam ejus potestatem in nihilum redigi necesse est , vel eam ipsi ereptam , cui a Christo in Apostolorum Principe tradita est , in manibus multitudinis collocari . Quod est , inquit , erroneum , & a doctrina Patrum omnino alienum , imo & Catholicorum Principum statui valde perniciosum . Quoniam & eorum populi semel in unum coacti summam sibi arrogare poterunt in Republica potestatem ; *& sic Episcoporum statum , & politiam Christianam evertere : quod minime est dicendum aut tolerandum* .

„ Utcumque est , inquit Illustris„ simus Adversarius , illud errone„ um , & a Patrum doctrina alie„ num , Patres Basileenses pridem „ amplexi erant , ab ipsis nempe „ suae Congregationis initiis , Ses„ sione II. ut vidimus . Id etiam „ saepe dissolutionis tempore innova„ rant , inculcarant , sciente Eugenio, „ qui nedum haec reprehenderet , „ ipsam quoque Synodum rite in„ choatam , rite continuatam esse „ definiret edito diplomate : ut pro„ fecto pateat , quaesitas nunc ab „ illo clam eas conquerendi causas , „ quas ipse antea publice totaque „ Sedis Apostolicae auctoritate res„ puisset . „ Hinc discat Lector , quam ii magnifacere & extollere solent , quaecunque illorum opinionibus prima fronte vel minimum favere videantur . Quum enim ex antecedentibus & conjunctis & consequentibus apertissime constet , nunquam Eugenii mentem fuisse , Basileensium decreta , eisque inserta Constantiensium , adprobare , vel eis pondus adjungere Apostolicae confirmationis; sed solum Synodi progressum restituendae pacis amore ratum habere , ac jure suo decedere voluisse ; jactare tamen audent , & ipsa Basileensium & Constantiensium Decreta tota Sedis Apostolicae auctoritate ab eo probata fuisse : perinde atque nihil curandum sit , quae Pontificis mens fuerit , aut quid illi sit visum, quum aliquod ab eo Diploma signatum est : Quum tamen Apostolicorum Diplomatum inde pendeat auctoritas ; quod primum Spiritui Sancto , deinde Pontificibus aliquid visum sit : *Visum est* , inquiunt , *Spiritui Sancto, & nobis* .

Vellicat subinde Basileensium Decreta , tum de Annatis , quas in signum eminentiae supra ceteras Ecclesias , quas Romana fundavit , Romani Pontifices exigunt , tum & de Reservationibus auferendis , quibus aliquando necesse est Summum Pontificem uti : neque fas , inquit , sit, quod Deus Vicarii sui reliquit arbitrio , hominum statutis aut legibus interdici . Quum enim plura , inquit , sint negotia quam vocabula , & lex non possit omnes casus comprehendere , dedit Deus legem animatam in terris , non multitudinem , aut Collegium vel Universitatem , sed maximum videlicet omnium Principem , Romanum Pontificem , Christi Vicarium & Petri Successorem , cujus esset pro negotiorum exigentia

& qua-

& qualitate, non alieno arbitrio, sed suo, leges interpretari, moderari, declarare, & tollere, si sit opus. Ac subjungit: Quomodo ergo qui sunt Basileae congregati existimant, sibi fas esse supremum Ecclesiae Principem suis adstringere legibus, atque omni potestate nudare, perinde ac solo nomine & velut inutile signum in Apostolico throno sedere eum velle videantur? Et infra numer. 10. Qua fronte audent legum moderatorem & principem, & qui potest, prout utile vel expediens judicaverit, legem tollere, requirere ut legem servet, ac velle eum legibus, quibus solutus est, subjacere?

Queritur etiam Eugenius & vehementissime de concessis a Synodo, *absque auctoritate vel licentia Apostolicae Sedis*, ac repugnantibus, praeter unum Cardinalem Julianum, qui nulla ad id potestate erat instructus, aliis Legatis; de concessis, inquam, a Synodo Indulgentiis: *quod*, inquit, *in signum supremae potestatis est soli summo Pontifici*, tanquam supremo Ecclesiae Principi, *reservatum*. Quum ergo ejusmodi & alia Sedis Apostolicae jura Basileenses invaderent, perspicuum esse docet Eugenius, quod *duo Exercitia suprema, duo Tribunalia, & duo Capita* in Ecclesiam militantem invehere, & Ecclesiasticam Monarchiam convellere nitebantur, & novum in Ecclesia schisma excitare: pro quo teterrimo ac funestissimo malo a domo Dei eliminando, quadraginta ferme annorum intervallo, haud jam pridem omnes fere Christiani Principes conjunctis studiis adlaboraverant.

Adjungit, inauditum a cunctis saeculis esse, quod Concilium generale, a quo norma justitiae, morum censura, summa item pax, omnisque erroris eliminatio prodire debent, de pari aut etiam majore cum Romano Pontifice potestate, cum tanto Ecclesiae scandalo, & Populi Christiani perturbatione, contendat. Ex hominum memoria, aut ex Majorum Annalibus tale scissurae genus non agnoscere Ecclesiam, quod in Sede Petri legitimo sedente Pontifice, qui generale Concilium facere dicuntur, parem cum ipso aut etiam majorem sibi vendicent potestatem. Quum Jesus Christus mortem obiturus, non multitudinem, sed Petrum Apostolorum verticem, qui suum teneret locum, destinarit; cur Monarchiam Divino jure institutam, ad popularem statum & democratiam revocare moliuntur? Cur Summi Pontificis jurisdictionem & auctoritatem toto orbe venerandam, & in summa pace degentem, sede jam plena, infringere, aut omnino labefactare conantur; duo in Ecclesia Capita (quod est omnium perniciosissimum) sub diversis tantum nominibus constituentes, contra atque in Symbolo *unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam* confitemur?

Haec libuit ex laudato Eugenii Libello paullo fusius excerpere, quod hinc apertissime constet, quis de omnibus fere controversiis, quae nos hodie cum Gallis Theologis committunt, fuerit olim ipsius Eugenii & Cardinalium, adeoque & totius Ecclesiae Romanae sensus. Ut nihil sit magis absurdum, quam quod Adversarii extortas Eugenio litteras ita interpretari renuunt, ut cum tam cla-

claris ejus exploratisque sententiis utcunque congruant; aut quod ad vim & auctoritatem Apostolicae Constitutionis sufficere existimant, si illi vel contra suam claram exploratamque mentem atque doctrinam subscribere Pontifex compellatur.

Quandoquidem vero Bossuetius sub finem capitis Eugenium neglectae reformationis arguit, monetque nos divina judicia contremiscere, totque reformationes impias sequente saeculo ex inferis prodituras, neglectae reformationis ultrices cogitare; atque adeo optimo Pontifici imputat, quod occasionem nefariis hominibus dederit ad Ecclesiam reformationis specie, quantum in ipsis erat, funditus evertendam: alium ex eodem commonitorio locum subjiciam, quo tantorum malorum invidia in ipsos Basileenses facile retorquetur. Inde enim, si verum fateri volumus, prima mali labes, quod homines temerarii velut Ecclesiae reformandae studio, in summos ipsius Ecclesiae Principes ora laxare, eorum mores & vitia carpere, legitimam potestatem contemnere, jugum excutere, & auctoritatem invadere ausi sunt. Qua semel occupata non ad aedificandam & componendam Christianam Rempublicam usi sunt, sed ad eam temere perturbandam, aut si fieri posset, & funditus evertendam: *Hoc enim modo*, inquit Eugenius, *in Ecclesiam introductae sunt haereses, dum inferiores per contemtum quemdam aut de superiorum vita & moribus judices esse volunt, aut eis leges, quod minime possunt, imponere satagunt*. Qua in re sequentis saeculi Novatoribus ac Pseudo-Reformatoribus Basileenses optime seu potius pessime praeluserunt. Quare eos optimus Pontifex obtestabatur, ut modeste agerent, elatos spiritus comprimerent, ac ne legitimam auctoritatem lacesserent, & indebitam potestatem usurparent, qua & ipsi aliquando & alii in exitium impellerentur: *Desinant ergo Romanum Pontificem lacessere; recognoscant eum Ecclesiae Caput; non recedant a doctrina Patrum, quae ipsi omnes leges subjicit; non seminent peregrinam doctrinam, animas simplicium illaqueantes; non alta sapiant, sed in humilitate persistant. Hoc enim omnium malorum caput & origo ab initio nascentis Ecclesiae fuit, quum homines sanam non valentes doctrinam intelligere & sustinere, in laqueum superbiae elati, plus sapere quam oportebat, cum periculo plurimorum, imprimis suo, voluerunt*. Haec Basileenses optimi Patris monita contemserunt: ac protervia & perduellione sua viam ad audendum pejora futuris Pseudo-Reformatoribus munierunt: *qui idcirco Synodum istam Basileensem*, quemadmodum Illustrissimus Apamiarum Episcopus testatur (a), *toto affectu exosculantur ut divinum opus*, ejusque Historiam & Acta plurima in suo rerum expetendarum Fasciculo locum habere voluerunt. En unde illae reformationes impiae sequente saeculo ex inferis prodierunt.

CA-

(a) Ad an. 1436. num. III.

CAPUT VII.

,, Dissidii caussa ex Gestis: Quaestio ,, proponitur, An Constantiensia ,, Decreta revocata in dubium.

QUum Romanus Pontifex centrum Ecclesiasticae unitatis, ipsis fatentibus Adversariis, a Deo constitutus sit, quemadmodum aut Rex in regno, aut Dux in exercitu, aut Pastor in grege; statim atque Ecclesiasticus aliquis coetus a Pontifice dissidet, in discrimen adducitur amittendae per internam seditionem unionis & pacis, quarum vinculis inter se mutuo illius membra conjungebantur. Quare non mirum, si Basileensis Synodus etiam post restitutam pacem hoc morbo in suis condendis decretis identidem laboravit. Quum enim Legatis Apostolicis, perinde ac summum Ecclesiae Caput nequaquam repraesentassent, contra omnium Conciliorum morem, omni in Synodum potestate & auctoritate interdixissent, nemo erat, qui multitudinem variis affectuum studiorumque motibus agitatam cohiberet, seque subinde in contrarias factiones scindentem ad unitatem revocaret. At prorsus immedicabile illud dissidium fuit, quod Sess. XXV. circa locum celebrandae pro Graecorum unione Synodi exortum est. In duas enim itum est sententias: ,, Patrum pars maxima, in- ,, quit Bossuetius, locum habendae ,, Synodi Avenionem designabat. ,, Pauciores cum Legatis decretum ,, edidere Synodi nomine de ipsa ,, Synodo Florentiam vel Utinum ,, transferenda, sive in alium locum ,, tutum anterioribus Decretis com- ,, prehensum, Summo Pontifici & ,, Graecis accommodum, dummodo ,, in manu Concilii poneretur. Legatorum, eisque adhaerentium Decretum Eugenius confirmavit, Synodumque Oecumenicam Ferrariam transtulit: quo se se Legati Apostolici, atque ipse etiam Cardinalis Julianus hactenus Synodo addictissimus, contulerunt: Refractarii autem ac perduelles Basileae persistentes, Ludovicum Alemandum Cardinalem & Episcopum Arelatensem, inconditae multitudini & Latrocinali Synodo signiferum praefecerunt.

,, Secuta deinde, subjungit idem ,, Meldensis Episcopus, illa omnibus ,, nota, quae nihil ad nos spectant: ,, Neque enim posteriora illa Basi- ,, leensia Clerus Gallicanus tutanda ,, suscepit, sed Constantiensia Basi- ,, leensibus prioribus Gestis, consen- ,, tiente Pontifice, toties repetita, ,, haec immota stare, ex Ferrariensi ,, quoque & Florentino Concilio, ex ,, ipsius Eugenii & Successorum De- ,, cretis, cum maxime damnarent ,, Basileensia posteriora Decreta, non ,, conjecturis aut ratiocinatione dubia, ,, sed Actis comprobamus. Haec Bossuetius: quae ille quam solide feliciterque praestiterit, & nos ex eisdem Actis demonstrabimus.

CAPUT VIII.

„ Ex Actis probatur, priora Basi-
„ leensia, quibus Constantiensia
„ confirmantur, integra auctori-
„ tate esse.

„ NE quem lateat, inquit Illu-
„ striffimus Adversarius, quid
„ ex Actis Monumentisque ordine re-
„ censendis probatum velimus, haec
„ summa est: Postrema Basileensi
„ contentione quaesitum id tantum:
„ An Pontifex ea auctoritate fuisset,
„ ut Synodum renitentem alio trans-
„ ferre posset. Ceterum Constantien.
„ sia Decreta Sessionis V., atque
„ his connexa priora Basileensia va-
„ luisse; neque quidquam ab Euge-
„ nio, Edicto sane publico, com-
„ motum in iis, quibus se Synodus
„ ex Decretis Constantiensibus, in
„ fidei, schismatis, reformationisque
„ negotio, Papae anteponeret. Neque hoc tantum, imo & ea velut Oecumenicae, verae, & legitimae Synodi Decreta agnita ab Eugenio fuisse & expresse adprobata, idem Illustrissimus Auctor contendit. Haec tamen falsa omnino esse, ex iisdem Actis, ut jam diximus, demonstramus.

ARTICULUS PRIMUS.

Synodus, cui Sedis Apostolicae Legati sine auctoritate & jurisdictione praefuerunt, pro vero, genuino, & generali Concilio haberi non potest, nec ejus Decreta velut ab Oecumenica & legitima Synodo edita, unquam Eugenius adprobavit.

POst restitutam pacem Sedis quidem Apostolicae Legati a Basileensibus suscepti sunt, ea tamen, ut jam diximus, lege, ut jurisdictione coactiva carerent, utque ea quae a Synodo decernerentur, ipsi, aut ipsis absentibus vel recusantibus, primus Praelatorum Synodi nomine concluderet ac pronuntiaret.„ Quo sublato, inquit Bossuetius Cap. V.
„ nulla Concilii libertas, imo nullum
„ Concilium esse videretur, sed om-
„ nis ejus actio in Legatorum pote-
„ state esset. Adversus ejusmodi Decreta cum ipsi Legati publice ac solenniter protestati sunt, tum Eugenius vehementer in eo, quem superius laudavimus loco, justeque conquestus est. „ Sed ejus querelae,
„ subjungit idem Bossuetius Cap. VI.
„ eo pertinebant, ut tota Synodus
„ sub Legatorum potestate esset.

Verum Eugenius haud alium sibi suisque Legatis locum, haud aliam jurisdictionem ac potestatem vindicabat, quam quae Romanis Pontificibus divinitus contributa est, & quam in illis omnes Oecumenicae Synodi veneratae sunt. Nulla enim legitime celebrata est, quae non cum summa veneratione Sedis Apostolicae Legatos, velut Ecclesiae Synodique ipsius caput repraesentantes, exceperit; nullum omnino conditura Decretum, nisi illorum praelucente auctoritate, imo & Decreta, quae ipsi ab Urbe adtulissent, velut leges, & agendorum decernendorumque normam, & Spiritus Sancti oracula veneratura. An autem inde consequens sit, nullam fore Synodi libertatem, & omnem ejus actionem in Legatorum potestate futuram, alia quaestio est, ob quam non erat Basileensibus a veterum Conciliorum moribus & institutis recedendum: ut qui nihil

fre-

frequentius in ore habebant, & Eugenio molestius & importunius ingerebant, quam Gregorium Magnum quatuor priores Synodos velut totidem Evangelia in honore habuisse, non darent occasionem, ut eis merito objiceretur, Synodum Basileensem sanctorum Conciliorum vestigiis & exemplis nequaquam insistere, nec ad illorum normam eam esse constitutam. Quam enim Legati Sedis Apostolicae in Conciliis Ephesino & Chalcedonensi, quae duo sunt ex illis quatuor, quae velut Evangelia Magnus ille Gregorius amplectebatur, potestatem exercuerint, cum a nobis saepius demonstratum est, tum Illustrissimus Petrus de Marca lib. V. de Concord. Sac. & Imp. per plura capita haud segniter ac perfunctorie declarat: ex quo aliqua decerpere est animus, ut velut domestico Auctore Basileenses, eorumque vindex ac defensor Bossuetius, refellantur, omnisque illorum Actis ac Decretis auctoritas abrogetur.

Quod ad Ephesinam Synodum attinet, quis unquam inficias iturus est, Caelestinum illi primum per Cyrillum Alex., cui suas in Nestorii causa vices commiserat, deinde per Philippum Presbyterum, & Projectum & Arcadium Episcopos, suos ad Synodum Legatos, cum imperio praefuisse, & coactivam exercuisse auctoritatem? Quandoquidem ipsimet Patres in sententia depositionis adversus impium Nestorium, se se ad eam devenisse profitentur coacti, non secus atque per sacros Canones, per Epistolam Caelestini: *Coacti per sacros Canones, & Epistolam ..... Caelestini .... ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus.* „Magni autem momenti, inquit Petrus de Marca (a), sunt illa verba, quibus se coactos dicunt, id est, ex officio adstrictos, ut Canonibus, qui contumaciam plectebant, & rebus a Celestino adversus impietatem decretis, morem gererent. Ea est enim auctoritas Epistolae Pontificis, ut parendi necessitas incumbat &c. Ne quis autem existimet alienam a verbis Synodi sententiam nunc primum a me confictam fuisse, perpendenda sunt quae dixit Firmus Caesareae Episcopus post adventum Legatorum Arcadii, Projecti, & Philippi; qui post damnatum Nestorium Ephesum accesserunt. Ait Firmus, primam sententiam tulisse Caelestinum, eamque huic negotio formam per priores literas suas ad Cyrillum praescripsisse, quam Synodus executioni dederit.

Postquam vero illa contra Nestorium sententia, cui Caelestini litterae formam regulamque praescripserant, Actione III. praesentibus Legatis relecta est, Philippus Legatorum unus eamdem Caelestini nomine confirmaturus, haec praefatus est: *Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod Sanctus Beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps & Caput, fideique columna, & Ecclesiae Catholicae fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo ...... claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc usque*

(a) Lib. V. de Conc. Sac. & Imp. cap. XI. num. II. & III.

que tempus, & semper in suis Successoribus vivit, & judicium exercet. Hujus itaque secundum ordinem Successor & locum tenens, sanctus beatissimusque Papa noster Caelestinus Episcopus, nos ipsius praesentiam supplentes, ad hanc sanctam Synodum misit &c. Quorsum haec, nisi ut intelligamus, qua Legati Sedis Apostolicae auctoritate Synodo praeesse debeant, ut qui locum teneant illius, eumque velut praesentem Synodo sistant, qui omnium Princeps & Caput est, qui fidei columna, & universae Ecclesiae fundamentum est; qui Regni claves accepit, & in quo velut in fronte judiciariae potestatis, & exercendae jurisdictionis vis & origo posita est?

Reapse autem Caelestinum in suis Litteris & Legatis velut Caput & Principem, ut ipsi cum auctoritate & imperio praesideret, a tanta Synodo fuisse susceptum, laudatus de Marca ex acclamationibus probat, quibus litterarum ejus lectionem Synodus prosequuta est: Nam lectis quas Legati recens detulerant Caelestini litteris; Omnes Reverendissimi Episcopi, ut in Actis legitur, acclamaverunt: *Hoc justum judicium: novo Paullo Caelestino: Novo Paullo Cyrillo: Caelestino custodi fidei: Caelestino cum Synodo concordi: Caelestino universa Synodus gratias agit &c.* „ Quibus „ acclamationibus, inquit Illustrissi„ mus Auctor, ut fieri solebat a Sena„ tu erga Principem, Synodus Ephe„ sina Caelestinum, ejusque Legatum „ Cyrillum suo quoque nomine valde „ commendabilem, prosecuta est. Quae, non ex mera conjectura dicta esse, imo ita esse accipienda, constat ex interlocutione Philippi, qui eas reapse in hanc mentem interpretatus est, & gratias Synodo seu Patribus egit, quod suis vocibus & acclamationibus tanquam *sancta membra sancto Capiti* se se adjunxerint. Ac subjunxit: *Non enim ignorat vestra Beatitudo, totius fidei vel etiam Apostolorum Caput esse Beatum Apostolum Petrum.* Itaque tota Synodus Caelestinum sibi, velut Caput membris, praesidentem suspexit: sibique gloriae & honori duxit, quod latum jampridem in Nestorium a Caelestino judicium ex forma regulaque sibi ab illo praescripta exsecutioni mandasset; quemadmodum membrorum est ea exsequi, quae ipsis a Capite demandantur: *De praesenti negotio sententiam regulamque praescripsit, quam nos quoque sequuti .... formam illam exsecutioni mandavimus.* Quod quamquam & suo interposito judicio eos perfecisse non abnuam; hinc tamen constat, huic Synodi judicio Caelestini sententiam velut normam & regulam praeluxisse, ex qua esset de toto illo negotio judicandum ac statuendum; ac proinde non ea Judices fuisse praeditos libertate, ut non essent in judicando ad certam adstricti formulam, cui *necessario* parere, & quam exsequi *cogerentur*.

Nec minore amplitudine ac libertate Primatus sui & principalis auctoritatis vim Leo exercuit in Concilio Chalcedonensi, quum Dioscorum Alexandrinum in ipso Synodi exordio ab Episcoporum Sede amovendum per Legatos suos edixit, & inter reos constituendum, ut caussam diceret: *Paschasinus &c. dixit: Beatissimi atque Apostolici Viri, Papae Urbis Romae,*

mae, quae est Caput omnium Ecclesiarum, praecepta habemus prae manibus; quibus praecipere dignatus est ejus Apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum Episcopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos observare necesse est. Si ergo praecipit vestra Magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus. ,, Tergiversati quidem, inquit Petrus de ,, Marca (a), sunt Judices, acerbam ,, existimantes & duram Dioscoro im- ,, positam conditionem. Attamen cum ,, Legati mandata Leonis urgerent, & ,, Dioscoro objicerent, quod Synodum ,, celebrasset absque Sedis Apostoli- ,, cae auctoritate; etsi hoc videbatur ,, aliquo pacto convellere Imperato- ,, riam potestatem, qua fultus Synodo ,, Ephesinae Dioscorus praesederat; ,, Judices praeceperunt, ut Dioscorus ,, rus in medio consessu resideret in- ,, ter reos. Quisquam ne ergo negabit, S. Leonem per suos Legatos velut Caput Chalcedonensi Synodo praefuisse, in eaque coactivam potestatem & jurisdictionem exercuisse? Non enim consilia, non suasiones, sed *praecepta* S. Leonis Paschasinus urgebat, quibus omnino parendum esset, suo alioquin discessu Synodum diremturus: quum nefas esset; atque id maxime Dioscoro crimini daret; absque Sedis Apostolicae auctoritate Synodum celebrare. Atque ut intelligerent Judices, unde hanc vim praeceptis Leonis arcesseret, eis in memoriam revocat, Leonem *Urbis Romae* Episcopum esse, *quae caput est*, inquit, *omnium Ecclesiarum*. Porro in sententia adversus eumdem impium Dioscorum lata observandum esse monet idem Illustrissimus Auctor, quod eum ,, Paschasinus non solum censuit ,, a Synodo condemnandum, sed ,, etiam ex auctoritate Leonis con- ,, demnavit. Referam, *inquit*, ejus ,, verba, prout se habent in Epistola ,, la Leonis ad Episcopos Galliae, ,, cui exemplar sententiae latae ad- ,, versus Dioscorum adjunxit, iisdem ,, verbis, quae Paschasinus protulit, ,, qui Latine loquebatur in Synodo. *Unde sanctus ac Beatissimus Papa, Caput universalis Ecclesiae, Leo per nos ut Legatos suos, sancta Synodo consentiente, Petri Apostoli praeditus dignitate, qui Ecclesiae fundamentum & petra fidei, & caelestis Regni Janitor nuncupatur, Episcopali eum dignitate nudavit, & ab omni Sacerdotali opere fecit extorrem.* Prolata est ergo in Dioscorum a Legatis sententia S. Leonis nomine: qui per eos Synodo praeerat velut Caput universalis Ecclesiae, & tanquam petra fidei, & ejusdem Ecclesiae fundamentum, & caelestis Janitor Regni: quae sane nemo negaverit auctoritatis & jurisdictionis titulos esse, cui & ipsa Syuodus parere ex necessitate deberet; quemadmodum & Ephesina Caelestino Nestorium exauctoranti: *coacti ad hanc sententiam necessario venimus*. Ubi rursus cum eodem Petro de Marca observandum est ,, judicium conce- ,, ptum fuisse a Paschasino sub no- ,, mine Leonis de Synodi consensu; ,, quem consensum Patres statim ver- ,, bis explicuerunt, & sententiae ,, Paschasini subscripserunt, nulla sen- ,, tentiae formula sub nomine Synodi

(a) Ubi sup. cap. X. num. I.

„ nodi concepta .... Itaque mirandum non est, si posteriora generalia Concilia in Occidente celebrata concepta sint ut plurimum sub nomine Pontificis, *sacro approbante Concilio*, cum traxerint exemplum ab hac formula: *Leo per nos Vicarios suos, sancta Synodo consentiente &c.* Hoc proficiscitur e Primatus jure, quod auctoritatem tribuit Pontifici, & Synodo consensum. At contra Basileenses in suis omnibus Actis ac Decretis sibi auctoritatem usurparunt; Pontifici autem imposuerunt non modo consentiendi, verum & parendi necessitatem; omnique & Eugenio & ejus Legatis jurisdictione adempta, nullo pacto tulissent, aut ferre potuissent, decreta sub hac formula promulgari: *Eugenius per nos Vicarios suos, sancta Synodo consentiente &c.* Quod, quamquam ex magna illa Chalcedonensi Synodo derivatum, schismatica factio admittere recusavit, quum eorum coetui Pseudo-Pontifex non jam per suos Legatos, sed per se ipse praeesset.

Non minus ejusdem S. Leonis per suos Legatos Chalcedonensi Synodo praesidentis auctoritas enituit in contexenda sanciendaque formula fidei, quam Legati ad S. Leonis Epistolam velut ad fidei normam & regulam omnino exigi voluerunt; intentata etiam Synodi dissolutione, vel ejus in Occidentem translatione, nisi Patres morem gererent, & consensum adhiberent: *Si non consentiunt epistolae Apostolici & Beatissimi Viri Papae Leonis, jubete nobis rescripta dari, ut revertamur, & ibi Synodus celebretur*. Attamen quod volebant sua tandem auctoritate pervicerunt: nam formula fidei omnium votis ita concepta est, ut diserte Leonis epistola, cui & omnes antea subscripserant, recepta sit tanquam Petri confessioni congruens; & omnia dubia ad praescriptum illius epistolae explicata sunt. Quae duo, ut ait Petrus de Marca, maxime illius epistolae auctoritatem commendant: quum Decretis subscribatur, & non Episcoporum suffragiis; & quum nefas tandem Synodo visum sit, si vel uno verbo ab ea epistola discederetur; ac proinde ut certa & irreformabilis fidei regula habita est, cui esset immote & indivulse inhaerendum.

„ Quare, subjungit idem Illustrissimus Auctor, jus illud relationis cum praerogativa suffragii (*quod instar veterum Imperatorum Romanis Pontificibus vindicat*) Concilium Chalcedonense in Leone dissertissimis verbis agnovit: ne quis per adulationem hoc a me confictum putet. Etenim in Synodica epistola ad Summum Pontificem Patres profitentur eum fuisse in expositione fidei Petri interpretem, seque, ipso duce & auctore, veritatem Ecclesiae filiis depromsisse. Ὅθεν καὶ ἡμᾶς ἀρχηγῷ σοι τοῦ καλοῦ πρὸς ὠφέλειαν χρησάμενοι, τῆς ἀληθείας τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς τὸν κλῆρον ἐδείξαμεν. „ Sed ut dignitatem auctoritatemque Pontificis non dissimulant; ita quoque Synodi partes non omittunt, quae *uno spiritu, una conspiratione, atque concordia confessionem fidei* declaravit, Christo spirituales delicias per literas Leonis, Episcopis in Synodo velut in convivio quodam considentibus, praeparante. Ita cum

pace

pace & tranquillitate res disponuntur, quum suum unicuique jus tribuitur, suisque omnes muneribus & officiis funguntur; quum scilicet Romanus Pontifex tanquam Ecclesiarum omnium, imo & ipsius Ecclesiae Catholicae Caput, Princeps & Magister dogmaticis suis epistolis morumque decretis & fidem exponit, & disciplinam sancit; Synodi autem Oecumenicae, quae ab ipso edita sunt ac decreta, tanquam Petri voces & Christi leges, & Spiritus Sancti oracula amplectuntur. Quem ordinem Divino jure constitutum quum Basileensis Synodus per summam aut temeritatem aut inscitiam invertere ausa est, sibique principatum & magisterium usurpavit, Romanum autem Pontificem sibi tanquam dicto obedientem subesse voluit; non pacem & tranquillitatem in Ecclesiam, sed horribilem perturbationem invexit.

Sed neque illud. hoc loco ullo modo praetermittendum, quod jam saepe laudatus Petrus de Marca sequentibus verbis edisserit (*a*): „ Unus „ tantum restat articulus, in quo u- „ triusque relationis, Imperatoriae „ & Pontificiae, comparatio ineunda „ est, ut sciatur an illis per omnia „ conveniat. Inter ceteros relatio- „ nis effectus observavimus Senatus- „ consulta sine Consulis vel Prin- „ cipis relatione fieri non potuisse. „ Quaeri ergo potest non absurde, „ an licuerit Oecumenicae Synodo „ de aliquo fidei vel disciplinae ca- „ pite sine relatione Pontificis de- „ cernere..... Ac sane antiquam „ esse Legatorum persuasionem video „ ut existimaverint, Pontificem rerum „ omnium gerendarum in Conciliis „ Oecumenicis auctorem esse debere; „ ita ut etsi forte non retulerit, „ saltem primam sententiam pro- „ mat. Hanc disertis verbis expres- „ serunt Patres Synodi Chalcedo- „ nensis in epistola Synodica ad Leo- „ nem: ad quem scribunt, Pascha- „ sinum Legatum ejusque Socios ve- „ hementer obstitisse novae juridi- „ ctioni, quae a Synodo tribuebatur „ Sedi Constantinopolitanae ex eo „ capite praecipue, quod Leonem „ vellent ejus rei auctorem fieri, „ quemadmodum auctor fuerat rectae „ fidei sanciendae. Volebant scilicet „ ea de re prius a Leone decerni, cu- „ jus auctoritati ceteri deinde Episco- „ pi consentirent & subscriberent (*b*). „ Hanc Legatorum opinionem non „ omnino refutare videtur Conci- „ lium; ita tamen ut in casu pro- „ posito ei locus esse non posset ob „ temporis circumstantias. Respon- „ deat enim, Imperatoris, Senatus, „ & Civium Urbis regiae desideriis „ obsequendum fuisse, qui novam „ istam auctoritatem Decreto Syno- „ di Oecumenicae confirmari vole- „ bant. Quod fieri non poterat, si „ ante omnia Pontificis sententia „ exquirenda fuisset. Itaque in his „ angustiis se negotium constituisse, „ non dubitantes, quin Leo hoc quo- „ que decretum amplecteretur: quod „ perinde esset ac si ab initio ipse „ illius Auctor fuisset, eo quod re- „ ctorum facinorum a filiis gestorum „ omnis gloria redundet in Patres, „ qui

(*a*) Ubi sup. cap. XI. num. IV. (*b*) Epist. Synod. ad Leon.

„ qui jure patriae potestatis hoc sibi „ vindicant. Quare obnixe rogant „ Pontificem, ut suo quoque decre- „ to Synodi judicium honoret; ut „ sicut in rebus fidei recte constitu- „ tis Pontifici tanquam Capiti con- „ sensum suum adhibuerunt, ita „ quoque primatus sui jure ipse quod „ decet filiis impendat, nempe con- „ firmationem & consensum. τὴν „ πεπραγμένων βεβαίωσίν τε καὶ συγ- „ κατάβασιν.

Haec quamquam prolixiora, integra tamen referre libuit, ut hinc Adversarii discant, qua olim reverentia & obsequio, quave animi demissione magni illius Chalcedonensis Concilii Patres ad Romanum Pontificem scriberent, & sua ab illo decreta confirmari peterent. Scilicet ea qua filii parentes modestia & veneratione adloquuntur. Quod sane longissime distat ab arrogantia & typho, quo Basileenses praecepta legesque suas, gravissimis etiam intentatis poenis, Romanis Pontificibus intimabant. Qua in re dupliciter ab eis peccabatur, & a veterum Conciliorum exemplo discedebatur. Primum quod sine Pontificis relatione, imo & ut plurimum Apostolicis Legatis intercedentibus ac vehementissime repugnantibus, decreta ab illis de rebus gravissimis condebantur. Quod eis non licebat, perinde atque Senatusconsulta sine Consulis aut Principis relatione fieri non poterant. Alterum est, quod ejusmodi decretis inconsulta Sede Apostolica & perperam constitutis, Pontificem non rogabant, seu potius rogare dedignabantur, ut ea saltem primatus sui jure confirmaret: nihil enim in Apostolica confirmatione momenti esse existimabant, sed omnem eorum vim a Synodi auctoritate repetebant: qua freti non ea ad Pontificem Apostolica adprobatione munienda referebant, sed pro imperio cum illo agentes, poenis etiam propositis, exsequenda mandabant. Quumque a veterum Conciliorum institutis tam audacter & immaniter aberrarent; contendebant tamen, ut eorum tumultuariae & inordinatae Synodo idem ab Eugenio honor haberetur, quem Ephesinae & Chalcedonensi, aliisque ad earum normam exactis, veteres Pontifices detulerunt.

Ab his regulis & veterum Conciliorum exemplis, quae tanta temeritate & audacia Basileenses violarunt, nonnisi aegerrime & invita discessit Quinta Synodus, ut quae tantopere laboraverit, ut Vigilius qui Constantinopoli aderat, ad Synodum accederet, & coetui praesideret, ac primam de tribus Capitulis sententiam promeret, quam pro veterum Conciliorum more Synodus ipsa velut Petri oraculum complecteretur. Ast Pontifice renuente & ad haec minime consentiente, negotium tamen urgente Justiniano Augusto, Synodus habita est. Verum nec ipsi, nec ejus decretis Synodi Oecumenicae vis & auctoritas constitit, antequam illa aut suis ad Eutychium litteris, quas Petrus de Marca, aut Constituto, quod Stephanus Baluzius vulgarunt, Vigilius confirmasset.. Qua de re hic pauca addere libet ex laudati Praesulis de hoc argumento & illa Vigilii Epistola Dissertatione (a): „ Plane, inquit, „ si

(a) Dissert. de Vigilii Decreto &c. num. XIV.

" si verum amamus, omnino fateri
" necesse est altas in mentibus homi-
" num tunc temporis egisse radices
" traditam a Majoribus sententiam
" de summa Sedis Apostolicae au-
" ctoritate. Cum enim de ceteris
" Synodis Oecumenicis ea reverentia
" loqui soliti essent, Summi Ponti-
" fices, ipseque adeo Vigilius in hoc
" Decreto, scilicet ut se eas suscipere,
" amplecti, & devota mente vene-
" rari profiterentur, utpote quae Sedis
" Apostolicae suffragio & universalis
" Ecclesiae consensione firmatae es-
" sent: hanc Quintam Synodum
" Vigilius ne quidem Synodi nomi-
" ne cohonestat: nempe illa ratione
" motus, quod ejus celebrationi, iis
" conditionibus quibus facta esset,
" consensum non praebuisset. Dein-
" de vero quod etsi vitium illius ex
" postfacto dissimulasset, a Constituti
" sui promulgatione cessatum fuerat,
" ut monui. Quod vero ad rem ip-
" sam attinet, ipse sua auctoritate,
" suoque Decreto tria Capitula dam-
" nat: quoscumque vero, qui jam
" illa condemnaverunt [his verbis
" Synodum Constantinopolitanam si-
" gnificat] fidem a quatuor Syno-
" dis praedicatam amplectentes, eos
" *fratres & Consacerdotes esse* defi-
" nit, idest, eos communioni suae
" adjungit, eorumque sententiae ro-
" bur illud impertitur, quod ex con-
" sensione cum ipsius Decreto trahere
" debent. Eamdem sententiam su-
" perioribus epistolae verbis sic ex-
" presserat: *Quae a nobis definiri
" debent, revelante Domino, & in-
" vestigata veritate, salubriter im-
" pleta sunt*: quasi diceret, hanc quae-
" stionem licet ab Episcopis discus-
" sam in Synodo, & eorum suffra-
" giis decisam, Sedis Apostolicae
" Decreto esse peremptorie definien-
" dam. Unde hoc suum Decretum
" διατύπωσιν appellat, ad Princi-
" pum exemplum. Itaque Graeci,
" ne dubitari posset in posterum
" de Quintae Synodi auctoritate,
" Decretum illud in acta retulerunt
" continenter post definitionem Sy-
" nodi &c. *Et infra numero XVI.*
" Per illud Vigilii Decretum Quin-
" ta Synodus velut universalis ad-
" missa est, non solum in Oriente,
" sed etiam in Occidente &c.

Quae quum ita se habeant, qua fronte & olim Basileenses & etiamnum Adversarii, Decretis inconsulto Romano Pontifice & refragantibus ejus Legatis, Basileae conditis, Oecumenicam vindicare audebant vel audent auctoritatem? Qua fronte Romanos Pontifices etiam invitos ac repugnantes suis subjicere & adstringere decretis contendebant, quum ejusmodi decreta irrita essent, nisi eis Eugenius robur illud adjungeret, quod ex ejus saltem consensione & adprobatione pendebat? Qua denique fronte Bossuetius Eugenium, vellicat, quod ob ademtam suis Legatis potestatem coactivam de Basileensibus quereretur; perinde atque illae optimi Pontificis querelae eo tantum pertinerent, ut tota Synodus sub Legatorum potestate esset; adeoque ut nulla jam Synodi libertas, imo nulla jam Synodus esse videretur? An ergo nulla jam Synodus erat, quum Patres Ephesini ad ferendam contra Nestorium depositionis sententiam se se coactos Caelestini litteris profitebantur? An nulla erat Chalcedone

Synodus, quum Paschasinus praecepta protulit S. Leonis; quibus omnino parendum esset; ne Dioscorus inter Episcopos sederet, sed inter reos constitueretur? Quum Synodum idem Paschasinus transferendam edixit, si vel uno verbo a S. Leonis epistola in fidei formula discederetur? Quum denique Sedis Apostolicae Legati intercesserunt, ne quidquam in tanta Synodo absque Pontificis relatione constitueretur? Ludibria haec & commenta sunt: quae non miror Basileensibus in mentem venire potuisse; quibus scilicet summa inerat Ecclesiasticae Antiquitatis inscitia vel contemtus. Sed Bossuetium haec adprobare potuisse, quae veteres & Synodos & Pontifices, illas turpis conniventiae, hos vero tyrannidis arguant; id certe mirandum est. Quanto rectius cogitassent, nullam omnino futuram Synodum, quae Romani Pontificis Legatos ea potestate instructos admittere recusaret, quam in praeteritis Synodis exercuissent? Qemadmodum, ut jam vidimus, & Synodum V. Vigilius ne Synodi quidem nomine cohonestavit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Constantiensia, eisque connexa Basileensium Decreta, intercedentibus ac repugnantibus Sedis Apostolicae Legatis, in medium adlata aut edita sunt: quibus proinde vel ab initio nulla auctoritas constitit: neque convalescere potuerunt absque Pontificis adprobatione, quam illis nunquam Eugenius adhibuit.

AD Synodum Basileensem nutu suo instauratam novos Eugenius direxerat Oratores, qui veterum Conciliorum more nomine suo coetui praeessent. Verum inquieti homines & rerum novarum cupidi *magnam*, ut ait Cardinalis Turrecremata (a), *& inauditam quaestionem* commoverunt: num scilicet Sedis Apostolicae Legati admittendi essent ad praesidendum Concilio? Non enim defuerunt, ut idem Auctor testatur, qui hanc eis praerogativam inviderent, ac debitam esse negarent. Alii vero admittendos eos quidem judicarunt *ad praesidentiam*, ut vocabant, *honorariam*, ut scilicet eminentiorem in Concilio locum tenerent, & primo in eo loquerentur, & quae agenda erant per interlocutionem dirigerent: sed iis tamen adjectis legibus & conditionibus, quibus Sedis Apostolicae auctoritas infringebatur & a veterum Conciliorum moribus & institutis [quae velut immotae constantesque regulae futuris omnibus Conciliis praelucere debent] apertissime discedebatur; ut nimirum Legatorum sententen.

(a) Lib. III. de Eccles. cap. XXIII.

tentiae nulla vis & auctoritas inesset; ut ipsis absentibus vel recusantibus, primus Praelatorum, quae communibus suffragiis decernerentur, Synodi nomine pronuntiaret; ut sacramento adigerentur ad propugnanda tuendaque ea Synodi Constantiensis Decreta, quibus, eorum sententia, quorumcunque Conciliorum generalium sanctionibus etiam certi legitimique Pontifices subjiciebantur.

Quamquam Eugenii Oratores delatam sibi iis conditionibus Synodi προεδρίαν respuere debuissent; attamen ne vix composito priore dissidio novas ciere turbas ac serere lites viderentur, injurias sibi Sedique Apostolicae illatas dissimulare interim decreverunt (a): praemissa tamen sollenni protestatione, ne quidquid Sedis Apostolicae juribus ac dignitati haec eorum conniventia derogaret; eaque etiam freti fiducia, eamque animo spem foventes, fore ut in Synodi progressu avita repetere jura permitterentur. Quod vero ad sacramentum attinet de suscipiendis tuendisque Synodi Constantiensis decretis; illud *nominibus propriis*, ut in Actis legitur, *scilicet ut particulares personae*, quemadmodum Johannes Turrecremata eorum mentem interpretatur (b), *non autem ut Nuntii Apostolici*, praestiterunt. Imo, ut idem Auctor adjungit, hoc nomine *protestati sunt in contrarium, nec interesse voluerunt sessionibus, in quibus talia concludebantur*. Id vero luculentissimo argumento est, Eugenium, quum Synodum Basileensem suscepit, ejusque progressum ratum habuit, nequaquam Constantiensia decreta Sessionis V. hisque connexa priora Basileensia, suscepisse vel adprobasse. Si enim Eugenii Oratores ejusmodi Decreta Sedis Apostolicae auctoritate probata vel confirmata novissent, haud aegre tulissent, se se ad eorum defensionem jurejurando obstringi, neque ut illa confirmarentur, tanquam Sedis Apostolicae Legati intercessissent: uti reapse intercesserunt, quum de his decretis iterum sollenniter confirmandis in Sessione XVIII. disceptatum est.

Haud me latet, haec narranti Turrecrematae Meldensem Episcopum fidem haud obscure abrogare, inficiali argumento ex Augustini Patricii hisce de rebus silentio (c): „ Itaque „ haec, praesente Imperatore, Le„ gatis annuentibus, solemnissimo ritu „ confecta sunt Sessione XVII. Se„ cuta Sessione XVIII. sessionis quin„ tae Constantiensis Decreta innovan„ tur. Atque in his omnibus Augu„ stinus Patricius, hujus aevi Auctor „ diligens Eugenianarum partium, „ nihil turbae refert, cum accurate „ soleat hujusmodi memorare. Itane vero? Te scilicet auctore, Patricio recentiori tacenti assentiar; Turrecrematae, qui Synodo aliquando interfuit, nullo modo prorsus assentiar? Non solus tamen Turrecremata, verum & ipse, ut jam vidimus, Eugenius Pontifex de Legatorum suorum, circa ea quae pertinent ad Sessionem XVII. contradictione & protestatione in

(a) Eugen. IV. in Commonit. ad suos Legat.
(b) Lib. II. de Eccles. cap. C.
(c) Capite Quinto.

in suo saepe nobis laudato Commonitorio testatur. Eosdem vero a Sessione XVIII. quemadmodum idem Turrecremata memoriae prodidit, abfuisse, ne Sessionis V. Constantiensis Decretis tanquam Sedis Apostolicae Legati & Concilii Praesides robur addere viderentur, idem Pontifex in Libello Apologetico apud Odoricum Raynaldum (a) locupletissimus testis est. Sessione autem XVI. *nominibus propriis*, non autem velut Pontificis ad Synodum Oratores, sacramento se se obstrinxisse ad Constantiensium Decretorum tuitionem, praeter laudatos Eugenium IV. & Cardinalem Turrecrematam, ipsa etiam Acta testantur. Quod sine turbis & animorum contentione vix fieri potuit: neque id tamen Augustinus Patricius, hujus aevi Auctor diligens, litteris consignavit. Denique non modo Legatos, verum & alios Episcopos ac Doctores scientia & pietate conspicuos harumce sessionum Decretis, id quod etiam laudatus Turrecremata commemorat (b), refragatos esse, confirmari potest ex litteris Regis Angliae ad Synodum Basileensem, in quibus vehementer queritur, quod suos Oratores sacramento adigere voluissent ad Constantiensium Decretorum tuitionem, & recusantes hoc se se jurejurando obstringere, adhuc illos suscipere renuissent. Subjungitque (c), vereri se, ne multorum & Principum & Praelatorum animi, ob ejusmodi exactionem juramenti, a Synodo alienentur, & quae credebatur fore universalis, ob paucitatem Praelatorum eo se transferentium, ad eam dignitatem non adsurgat. Profecto quantum ad ipsum pertinet, praemiserat in iisdem litteris (d), se jam alios ex suis Regnis Oratores ad Synodum destinasse, sed eos apud se adhuc retinere ob varias caussas, ac potissimum ob illud, quod saepe memoravimus, juramentum. Quibus omnino consona tradit & Cardinalis Tur-

(a) Ad an. 1434. num. 14.

(b) Multis Praelatis & Doctoribus in utroque Jure graduatis, sapientia & virtutibus clarissimis, non consentientibus edita sunt: quorum plures attendentes praedicta Decreta adversa esse Sanctorum Patrum doctrinis, non modo in deputationibus suis contradixerunt & reclamaverunt; verum etiam in sessionibus ipsius Concilii, in quibus talia decreta ad furorem quorumdam hostium Apostolicae Sedis cum multitudine populi parvi pretii & nullius auctoritatis publicata sunt, interesse noluerunt. *Lib. II. de Eccl. cap. C.*

(c) Non hoc modo .... credimus eatenus prosperandum sacrum Basileense Concilium, ut optamus; neque talium inventis novitatum corda Regum vel Principum Concilio Basileae congregato conjunget, sed abscindet. Nam Praelatorum multitudinem illic non colliget, sed disperdet; ut formidari possit, quod reclamante notabili parte Nationum orbis tam in Principibus quam in Praelatis, non valentibus illic incorporari sine praestatione juramenti, praesens Basileense Concilium, apud nonnullos, ut sperabatur universale (*f. non*) reputetur. Ap. Marten. Tom. IX. nov. Collect. p. 724 &c.

(d) Quosdam Ambassiatores nostros Basileam destinavimus .... praestolantes adventum aliorum Ambassiatorum nostrorum, quos de utroque Regno nostro in numero condecenti decrevimus destinare. Quotum tamen certis rationabilibus de causis suspendimus ad tempus dispositam missionem; ea quidem inter alias &c. *Ibid.*

Turrecremata (a); scilicet non fuisse adhuc perfecte Synodum congregatam, nec plene Catholicam Ecclesiam repraesentasse; quum adhuc inter alios plurium Regum ac Principum Oratores deessent, quum Sessione XVIII Constantiensia Decreta Basileenses innovarunt. Imo & eos de industria negotium accelerasse, ut ante adventum Oratorum Regum Castellae & Angliae, quos brevi adfuturos suspicabantur ea sessio celebraretur, quoniam optime noverant, eos pro sua sapientia, & erga fidem & Sedem Apostolicam insigni pietate, Constantiensium Decretorum confirmationi minime consensuros. Ex quibus omnibus idem Cl. Auctor merito colligit, hisce Concilii Basileensis Sessionibus nec pondus nec robur inesse Oecumenicae auctoritatis. Quod nimirum non intervenerit consensus Apostolicae Sedis per suos Legatos; quod earum decretis Episcopi & Doctores scientia & pietate illustres repugnarint; denique quod de industria plurium potentissimorum Regum & Principum Oratorum adventum praevenerint, quod eos noſsent suis Decretis similiter refragaturos. Quod sane de Oratoribus Regis Angliae constanti experimento compertum & exploratum habebant. Eos enim semper & in omnibus Synodi Actis Pontificis & Sedis Apostolicae, quantum in ipsis erat, dignitati & honori consuluisse, discimus ex ejusdem Pontificis litteris ad Henricum VI. Angliae Regem, quibus illi hac de re plurimum gratulatur, ac debitas refert grates (b): *Sicut a multis fide dignis accepimus, Oratores tui, quos destinasti ad Concilium Basileense, semper in omnibus casibus qui acciderunt fideliter obsequentes voluntati tuae, pro nostro & Romanae Ecclesiae statu, & honore tuo, laudabiliter se habuerunt, & egregiam operam fide & devotione tua dignam cum singulari prudentia praestiterunt..... Ceterum pro his, quae tuo jussu & tuo nomine faciunt tui pro nobis & Ecclesia, proque multis aliis laude dignis operibus..... regratiamur Serenitati tuae &c.*

Quum igitur quae repugnantibus & intercedentibus Sedis Apostolicae nomine ipsius Legatis, in Conciliis Oecumenicis decernuntur, nulla ipso jure & irrita sint, & pro nullis & irritis haberi debeant, nisi ea postmodum Pontifex rata habeat, & Apostolica auctoritate confirmet; videndum superest, quibus Meldensis Episcopus argumentis demonstret, haec, quae pro Constantiensium Decretorum firmitate Basileae post instauratam Synodum, refragantibus Sedis

(a) Non fuerunt unanimitate universali conclusi: quia non exspectata plene universali Ecclesia, nec integre Synodo congregata. Non enim exspectatis plurium Regum & Principum Oratoribus, conclusa fuerunt: licet aliquos eorum noverint jam in via constitutos. Unde Basileenses cupidi renovare decreta sua, postquam D. Eugenius ad Principum preces revocaverat dissolutionem Concilii quam fecerat; timentes, Dominorum Castellae & Angliae Oratores, quos jam propinquos noverant, pro eorum sapientia & zelo ad fidem & Apostolicam Sedem, conclusionibus eorum non praebituros consensum, praecaverunt ut ante adventum praefatorum DD. Oratorum innovatio fieret suorum Decretorum. Quod factum est in Sessione XVIII. *Ubi sup.*

(b) Ap. Matten. ubi sup. colum. 629.

Sedis Apostolicae Oratoribus, gesta sunt, rata Pontificem habuisse, eaque propterea Apostolica auctoritate convaluisse. Primo ergo ac secundo loco geminum Eugenii IV. Decretum profert, quorum altero, quod incipit, *Salvatoris*, Sessionis Basileensis XXV. Decretum, *Haec sacrosancta Synodus*, ut legitimi Concilii verum ac legitimum decretum firmat, ac Florentiam vel Utinum, locum habendae futurae Synodi ex eodem Decreto designat. Altero vero, quod incipit, *Doctoris gentium*, Concilium Basileense Ferrariam transfert, idemque Sessionis XXV. Decretum laudat, quo ipsa translatio innitatur. Ergo Basileensibus gestis ad XXV. Sessionem innititur, nedum ex dicto improbarit. Quo etiam refert Decretum Sessionis I. habitae Ferrariae anno 1438. ante adventum Graecorum, quo constitutum est, Synodum Ferrariensem Basileensis continuationem ac prosecutionem esse. Igitur adeo, inquit, non improbat anteriora Basileensia Decreta, ut eis innitatur, & ea continuet.

At quis merito non contemnat tam futilis argumenti vanitatem? An ergo quoniam Eugenius adprobavit confirmavitque electionem loci, quem & ipse antea futurae Synodo habendae designaverat, & ad quem eligendum meliorem ac saniorem Patrum Basileensium partem toto studio & conatu ipsius Eugenii Oratores impulerant; ideo censendus est, & ea Basileensium Decreta confirmasse aut rata habuisse, quae certissimum est & ei semper invisa fuisse, ac ne rursus in medium adducerentur, ipsius Legatos Sedis Apostolicae nomine intercessisse? Sane in eo Decreto, quod incipit, *Doctoris Gentium*, Avenionis electionem, in quam iidem factiosi conspirabant, qui & aliorum contra Pontificiam auctoritatem decretorum auctores erant, irritam ipso jure futuram adfirmat, ob Legatorum Sedis Apostolicae aliorumque ex ipsa Synodo illustrium Virorum contradictionem: *Spretis adhortationibus nostris, Avenionis civitatis electionem* IPSO JURE NULLAM *decretare tentarunt, Legatis & Praesidentibus nostris, & aliis plurimis & gravibus religiosisque personis renitentibus, atque ad novam loci alterius electionem procedendum esse decernentibus.* Quum ergo & Constantiensia, iisque connexa Basileensium Decreta, renitentibus Legatis & Praesidentibus Apostolicis, necnon aliis plurimis gravibus religiosisque personis, quemadmodum jam ostendimus, in medium adlata constitutaque sint; dubium non est, quin ex Eugenii mente quidquid in hac parte gestum per Synodum & sancitum est, nullum ipso jure & irritum fuerit; ac proinde ea Decreta nequaquam ab eo spectata fuisse tanquam legitimae Synodi ratas legitimasque sanctiones.

Quarto loco profert Meldensis Episcopus „ Eugenii praesentis in Synodo Ferrariensi Decretum, sacro „ approbante Concilio, editum, quo „ signanter declarat, gesta Concilii „ a die translationis nullius esse roboris. Ergo nec ipse Pontifex anteriora gesta rescissa esse voluit. „ Cur autem Basileensia haec posteriora rejiceret, hanc caussam affert: *Nos igitur attendentes excessus eorum adeo notorios, ut non possint aliqua tergiversatione celari,*

quod-

„ *quodque error, cui non resistitur,* „ *approbari videtur, & latum pandit* „ *delinquentibus iter, is qui eorum* „ *conatibus non resistit &c.* Atqui „ haud minus notoria erant, quæ pro „ Constantiensibus Decretis Basileen. „ ses gesserant; ante dissolutionem „ quidem Sessione II. post instauratam „ vero Synodum Sessione maxime „ XVI. & XVIII. Ergo si Eugenius „ ea improbanda censuisset, & tamen „ conticesceret, veritatem prodidis„ set: conticuit autem; non ergo „ improbanda censuit. Ex his omni„ bus liquet, Basileensibus gestis „ detractam auctoritatem, eis qui„ dem praecise, quae post translatio„ nem facta sint, anterioribus vero „ minime; atque ea, non quidem „ jam Basileae, sed Ferrariae con„ tinuata esse. Quare anteriora Basi„ leensia Decreta, quibus Constan„ tiensia confirmantur, repugnante „ nemine, imo tota Ecclesia iis De„ cretis nisa, plena auctoritate con„ stant. Itane vero? Etiamne illa, quibus Sess. XXI. & XXIII. de Annatis, deque Electionibus, atque aliis disciplinam spectantibus, tot ac tanta statuta sunt? „ Respondemus, *inquit*; „ Quae ad dogma Ecclesiasticum per„ tinent, magno discrimine distin„ guenda esse ab iis, quae ad disci„ plinam. Haec a Conciliis quoque „ Oecumenicis facta variis de causis, „ consentiente Ecclesia, mutari pos„ sunt. Illa immota & perpetua esse „ constat. Cum ergo Decreta, quibus „ Basileenses Sessionis V. Acta Con„ stantiensia repetunt & inculcant, „ ad dogma pertineant, neque ea „ unquam Eugenius Edicto edito „ reprehenderit, imo ut Oecumeni„ cae verae legitimae Synodi decreta „ agnoverit, non est cur de eorum „ authoritate dubitemus. Quae integra exscribere & exhibere libuit, quod omnem fidem superare videatur, Decreta, quae statim atque edita sunt, toties tantoque animi aestu & contentione Eugenius improbavit, repudiavit, rejecit, obtrudi potuisse tanquam Decreta, quae velut ab Oecumenica, vera legitimaque Synodo profecta, idem Pontifex agnoverit ac probarit.

Nos ergo primo non quaerimus, utrum decreta, quae ad disciplinam spectent, & a Conciliis Oecumenicis facta aut probata sint, variis de caussis, consentiente Ecclesia, mutari possint: sed quaerimus, utrum Decreta Synodi Basileensis de Annatis, de Electionibus, de Indulgentiis &c. quibus, praeter unum Julianum Cardinalem, Sedis Apostolicae Legati vehementissime restiterunt, adversus quae palam & sollenniter reclamarunt & protestati sunt, & quae constat Eugenii animum offendisse, & ab eo rejecta & improbata fuisse, pro Decretis haberi debeant, quae velut a legitima Synodo profecta susceperit ac probaverit; propterea quod Synodo Ferrariam translata, eis praecise specialibus litteris auctoritatem detraxerit, quae post translationem a Basileensibus gesta sint?

Quaerimus etiam, an eadem de Annatis, de Electionibus, de Indulgentiis Synodi Basileensis decreta inter ea recenseri debeant, quae silentio Eugenius dissimularit, adeoque non improbanda censuerit? Quidquid enim Adversarius responderit, clare ac manifeste perspiciet argumenti sui, ac petitionis absurditatem. Nam quis-

non illum exsibilabit, si responderit, ad ea de Annatis, de Electionibus, de Indulgentiis decreta Eugenium conticuisse, eaque propterea non improbanda duxisse, imo & silentio comprobasse? Conticuitne, aut haec decreta silentio comprobavit, qui ob sublatas Annatas, & concessas Indulgentias, tot Epistolis de Basileensibus expostulavit? Conticuit, qui speciales Oratores, Antonium Cauffarum Auditorem & Ambrosium Camaldulensium Praepositum generalem Basileam & ad Imperatorem direxit, quo Decretum de Annatis, ipso quidem jure nullum, pacis tamen studio, vel ab ipsa Synodo rescinderetur, vel aliunde debita Sedi Apostolicae provisio fieret? Conticuit, qui ex Cardinalium consilio ad Reges & Principes decrevit Internuntios, qui haec & alia a factiosis Basileensibus perperam gesta in omnium gentium oculis constituerent? Quod si Adversarium haec dicere & jactare pudeat; quid fiet huic argumento? „ Haud minus notoria „ erant, quae pro Constantiensibus „ Decretis Basileenses gesserant. „ Ergo si Eugenius ea improbanda „ esse censuisset, & tamen conticesceret, veritatem prodidisset: Con„ticuit autem: (ac Decreto quod „ Ferrariae edidit, iis praecise, quae „ post translationem facta sint, Ba„sileensibus Gestis auctoritatem de„traxit) non ergo improbanda censuit. Quid, inquam, huic argumento fiet, si in hunc modum instauretur? Non minus notoria erant, quae circa Annatas, Reservationes, Electiones, indulgentias &c. Basileenses gesserant. Ergo si Eugenius ea improbanda esse censuisset, & tamen conticesceret, veritatem prodidisset: Conticuit autem, atque eo Decreto, quod Ferrariae edidit, iis praecise Basileensibus Gestis, quae post translationem facta sint, auctoritatem detraxit: Non ergo improbanda censuit. At certa & explorata res est, cum illa circa Annatas &c. Basileensium gesta, tum Constantiensium Decretorum confirmationem vehementissime improbasse (a), perinde atque iis Decretis si semel ad certos etiam legitimosque Pontifices referantur, potestas Apostolorum Principi Romanisque Pontificibus ab ipso Ecclesiae Institutore adtributa in manu multitudinis constituatur. Qua ergo fronte quis audeat, ejusmodi Gesta vel Decreta, propterea quod de illis tacuit in decreto Ferrariae promulgato, velut ab Eugenio adprobata venditare? An autem ea postmodum in Florentina Synodo *expresse*, ut ait Bossuetius, adprobaverit, Cap. seq. videbimus.

ARTICULUS TERTIUS.

Eugenius IV. quod initio voluerat, Synodum Ferrariam transferendo, reapse pervicit obtinuitque: Illustrior autem Basileensium portio Synodi translationi consentiendo, priora Gesta facto ipso reprobavit.

NEc illud omnino praetereundum, ne forte & nostrum silentium ab Adversariis pro adprobatione habeatur, haud jure sibi sumere Bossuetium, decretum Eugenii pro Synodi translatione Basileensium decreto in-

(a) Vid. supra cap. VI.

initi. Quamquam enim antequam Synodum Ferrariam transferret, speciales Basileam Oratores direxerit, qui de illa in Italiam transferenda consensum Patrum elicerent; falsum tamen est, quod ipsa translatio Decreti Basileensium auctoritate peracta sit; perinde atque Eugenius Decretum illud confirmando, suum dumtaxat adsensum accommodarit. Quo sensu Bossuetius aliique interpretari solent etiam in Litteris Apostolicis confirmationis nomen; ut scilicet nihil sit aliud Decretorum Synodalium per Sedem Apostolicam confirmatio, quam testificatio unitatis, vel declaratio consensus, qui illis a Pontifice adhibeatur; ac proinde nihil sit vanius (*a*), quam confirmationis vocem ad argumentum superioris potestatis pertrahere. At non eo sensu Eugenius Basileensium de Synodi translatione Decretum confirmavit; sed ita ut eam ipse quamvis praevio illorum consensu, sua auctoritate transtulisse videatur, ac reapse transtulerit. Quod melius probari non potest, quam verba ipsa adferendo ex quatuor illis Decretis, ad quae & Bossuetius in praesenti capite provocat.

Primum ergo prodeat Decretalis, quae incipit, *Salvatoris*; in ea Graecorum Oratores, qui Basilea Bononiam accesserant, Pontifici supplices exhibentur, ut Decretum, *Sacrosancta Synodus*, & electionem Florentiae, vel Utini, aut alterius Italicae civitatis pro celebranda Synodo Oecumenica a Basileensibus factam, probare & confirmare dignetur. Quorum votis ac petitionibus Eugenius annuens, ex consilio & assensu Purpuratorum Patrum, *electionem*, inquit, *Florentiae vel Utini, aut alterius loci pro celebratione Oecumenici Catholici Concilii, ut in Decreto continetur, acceptamus, ac etiam confirmamus*. Quibus verbis confirmationem a simplici acceptatione vel adprobatione distinxit. Hanc porro, idest acceptationem vel adprobationem dedit, non tamquam decretis Concilii subditus, sed tanquam superior ac Princeps, qui libere subditorum votis ac petitionibus annuat.

Secundo, non minus clare ac luculenter elucet ea Romanorum Pontificum a Conciliorum Decretis libera & absoluta potestas in altero Decreto, quod incipit, *Doctoris gentium*; ubi quamquam in rerum ad illam usque diem gestarum narratione commemoret Pontifex laudatum Decretum, *Haec Sacrosancta*, Sessione XXV. Basileensi editum; quum tamen Concilium Ferrariam transferendum edicit, non Synodi auctoritate, sed sua nititur: *Tenore*, inquit, *praesentium, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, & ex plenitudine potestatis, civitatem Ferrariensem ..... pro loco dicti Concilii transferendi nominamus, assignamus, ac etiam deputamus.... Et ex nunc transferimus, & translatum fuisse & esse declaramus*.

Tertio, his omnino consonum est decretum Sessionis primae Ferrariae habitae ante adventum Graecorum, quo & superiores Eugenii litterae laudantur & recensentur, & in Acta *ad perpetuam rei memoriam* eas relatas fuisse narratur; tum Synodus ipsa, haud alterius quam Eugenii auctoritate, dicitur Ferrariae legitime con-

G 2

(*a*) Vid. inf. lib. XIII. cap. II. & sup. lib. IX. cap. XXVIII.

congregata: *Sancta universalis Synodus per Dei gratiam, auctorizante beatissimo D. Eugenio Papa IV. in hac civitate Ferrariae in Spiritu Sancto legitime congregata*. Porro Basileensem Synodum tacite sugillans ac reprehendens; quae ab illa Petra dissiliens, supra quam Christus aedificavit Ecclesiam, illique renuens tanquam fundamento inhaerere, nulla stabilitate subnixa, & in varias discissa factiones, Synodi formam, quae pax est & unitas spiritus, jam amiserat; contra Ferrariensis Synodus, solicita servare unitatem spiritus, in vinculo pacis, ut simus, inquit, unum corpus, & unus spiritus, iis se Christi verbis tanquam firmissimo fundamento inhaerere in hoc ipso sessionis primae Decreto professa est; quibus Apostolorum Principem adloquens ait: *Tu es Petrus &c.* En ipsa Synodi verba: *Sancta universalis Synodus &c. illius inhaerens firmissimo fundamento, qui Apostolorum Principi dixit*: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: *solicita servare unitatem spiritus in vinculo pacis, ut simus unum corpus, & unus spiritus &c.* Quibus verbis haud obscure significat, fieri non posse ut Synodus Oecumenica unitatem servet, adeoque ut firma consistat, nisi Romani Pontificis auctoritati, qui centrum est Ecclesiasticae unitatis, tanquam fundamento innitatur.

Quarto in medium adducimus Eugenii praesentis in Synodo Ferrariensi decretum, sacro approbante Concilio editum, quo non modo declarat, gesta Basileensis Concilii a die translationis nullius esse roboris; verum & eam translationem sua fuisse auctoritate peractam. Itaque, quemadmodum Romani Pontificis est Oecumenicam Synodum congregare, ita & illam de loco in locum transferre. Quo referri possunt, quae idem Eugenius scripsit ad Marcum Archiepiscopum Tarantiensem unum ex suis ad Graecorum Imperatorem Legatis, quum accepisset, & Refractarios Basileenses suos Constantinopolim Oratores direxisse, qui Graecos ad locum perducerent per ipsos Basileenses pro celebranda Synodo designandum, sive quo ipsi Synodum translaturi erant. Ait enim (a), hanc eorum molitionem in eversionem tendere privilegiorum & auctoritatis Apostolicae Sedis: *ad quam solum*, inquit, *universalium Conciliorum convocatio pertinet; ita quod sine Romani Pontificis expresso consensu quaecumque congregatio nec Concilium facere, nec auctoritatem habere, manifestum sit*. Quum ergo in Synodi translatione Romani Pontificis auctoritas emicuerit, imo quum ipse Synodum sua solum auctoritate transtulerit; palam est, Eugenium id tandem pervicisse, quod ab initio contenderat; nimirum ad solius Romani Pontificis potestatem pertinere, ut Synodum convocare, ita & congregatam de una in aliam civitatem transferre.

Quod ut etiam efficacius ac luculentius demonstretur, recolendum est ac memoria repetendum, Synodum Basileensem adversus Eugenium in primo dissidio decrevisse, *Concilium ipsum per neminem, etiamsi Papalis fuerit dignitatis, sine consensu duarum partium Concilii, dissolvi, aut de loco ad*

(a) Ap. Raynald. ad an. 1437. num. 24.

ad locum mutari posse. Id Sessione XI. decretum est; observatque Bossuetius (a), quod „ sic Concilium „ suam in Pontificem potestatem non „ modo explicabat decretis, sed et„ iam re ipsa exercebat. Sessione autem XXV. ut idem Meldensis Episcopus capite superiore memoriae prodidit, in duas itum est sententias. Patrum pars maxima locum habendae „ Synodi Avenionem designabat. „ Pauciores cum Legatis decretum „ edidere Synodi nomine de ipsa „ Synodo Florentiam vel Utinum „ transferenda. Hic plura sunt observanda.

Primum est, Decretum illud Sessione XI. promulgatum, de non transferenda Synodo etiam per Romanum Pontificem sine consensu duarum partium ipsius Concilii, unum ex iis esse, quae *sacrosancta generalis Synodus Basileensis* (ut se illa inscribebat) *in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repraesentas, ad perpetuam rei memoriam*, tanquam Constantiensibus Decretis innixa, sancivit: adeoque & ex eorum decretorum numero esse, quae Eugenius quum Synodo adhaesit, *expresse*, si Bossuetio credimus, & pure ac simpliciter adprobavit.

Secundnm est, Eugenium hoc tam sollemne Synodi Basileensis Decretum auctoritate decretisque suis, quibus Synodum ipsam Ferrariam transtulit, irritasse. Non modo enim huic translationi defuit duarum partium consensus; verum, ut ipse Bossuetius fatetur, *Patrum pars maxima* repugnavit, pauciores consenserunt. Nec refert, quod inter pauciores Legati Sedis Apostolicae recensebantur. Quum enim ex Basileensium sententia sine potestate & jurisdictione, ut vocant, coactiva Synodo praesiderent, eorum suffragium non ponderabatur; sed una cum aliis numerabatur. Itaque Eugenius sine consensu duarum partium, imo Patrum maxima parte resistente, & paucioribus suffragantibus, Synodum Basileensem Ferrariam transtulit, contra atque per ipsam Synodum sollenniter constitutum fuerat. Sic ergo Pontifex (ut Meldensi Episcopo sua reddam verba) suam in Concilium potestatem non modo explicabat decretis, sed etiam re ipsa exercebat.

Tertium est, Patrum Basileensium si non maximam, saltem optimam partem, eorum scilicet, qui doctrina, prudentia, aequitate & auctoritate praestabant, illud ipsum, de quo nunc agimus, sollenne totius Concilii Decretum de Synodo non transferenda sine consensu duarum partium, nihil moratam esse: quum ex quae numero praestabat in aliam abeunte sententiam, ipsa ad votum Pontificis, Legatisque Sedis Apostolicae praeeuntibus, Florentiam vel Utinum pro loco futurae Synodi designarit, & Eugenio Ferrariam Synodum transferendi obtemperarit. Nec est quod respondeas, merito his indignum facinus visum esse, quod quum ipse Graecorum Imperator ac totus Oriens patriam ultro relinquerent, contraria factio iis excipiendis ne in vicinam quidem Italiam movere se vellet, & Avenionem antefer-

ret

(a) Sup. cap. I. pag. 67.

ret procul a Graecis diſſitam, cujus nulla mentio in pactis facta eſſet: non eſt, inquam, cur ita reſpondendum exiſtimes; inde enim ſtatim efficitur; temere ergo Baſileenſes vel ab initio decreviſſe, quod ſine conſenſu duarum partium, ne quidem Romani Pontificis auctoritate, Synodus alio transferri poſſet. Hinc enim novo experimento conſtat, majorem Synodi partem, dum Romani Pontificis monitis non obtemperat, praevaricari poſſe, & peſſime Eccleſiae rebus & communi bono atque utilitati conſulere. Temere etiam iidem Baſileenſes jactabant, quidquid ab eis ſollenniter decernebatur, Spiritu Sancto auctore decerni. Non enim profecto Spiritus Sanctus illius decreti auctor haberi poteſt, quod paullo poſt eodem auctore Spiritu Sancto violandum erat, ejuſque iniquitas detegenda. Hinc ergo adverſus illam quam jactant ſummam & indeficientem generalium Conciliorum auctoritatem tale conficitur argumentum. Ideo Baſileenſes ad Synodum jure ac legitime transferendam duarum partium conſenſum requirebant, aut ſufficere exiſtimabant, quoniam in duabus partibus totius Concilii auctoritatem reſidere judicabant, adeoque & ſummam illam ineſſe Eccleſiae Catholicae poteſtatem, cui parere Pontifex teneatur, & quae in ſummis Eccleſiae negotiis a Spiritu Sancto regatur, nec deficere poſſit: Atqui optima Concilii pars decretum majoris partis velut improbum & Eccleſiae noxium rejecit & improbavit, ſtatuitque Synodum eſſe in Italiam transferendam, quamquam major numerus repugnaret: Ergo illuſtrior Baſileenſium portio, translationi ad votum Pontificis conſentiendo, priora Geſta damnavit; agnovitque, fuiſſe olim tota Synodi auctoritate factum decretum, quod Eccleſiae noxium & pernicioſum eſſet; quamquam & hoc ex eorum numero haberetur, quod cum Conſtantienſibus connexum eſſet, eiſque inniteretur.

CAPUT IX.

„ Decretalis, *Moyſes*, in Synodo
„ Florentina edita, priora Ba-
„ ſileenſia & Conſtantienſia
„ Decreta firmat.

Illuſtriſſimus Adverſarius ſub finem Capitis ſuperioris hanc veluti theſim in praeſenti capite demonſtrandam propoſuit: *Quod in Synodo Florentina, authore Eugenio, Conſtantienſia Decreta* (atque his connexa priora Baſileenſia) *expreſſe approbata ſunt*. Quae illius theſis, quin ſtatim prudentibus Lectoribus mirabilis videatur, nulli dubitamus. Ut vero illius abſurditas magis comperta ſit, hanc ei theſim objicimus: *In Synodo Florentina, auctore Eugenio, Conſtantienſia Decreta, atque his connexa Baſileenſis, quod ad ſubſtantiam dogmatis pertinet, expreſſe damnata ſunt*. Cur addiderim; *Quod ad ſubſtantiam dogmatis pertinet*; poſtea declarabo. Quum vero & noſtra & Adverſarii theſis eidem Eugenii Decretali innitantur, uno eodemque opere & noſtram ſtabilire, & quae ab Illuſtriſſimo Auctore pro ſua confirmanda in medium adlata ſunt, confutare aggredimur.

AR-

ARTICULUS UNICUS.

Eugenius IV. in Synodo Florentina non modo Constantiensia Decreta non adprobavit, verum & ea, quod ad substantiam dogmatis pertinet, expresse damnavit.

QUi Basileae post Synodi translationem substiterant perduelles, auctore Cardinale Arelatensi, qui in eo Latrocinio Dioscorum agebat, tres sequentes Propositiones veluti totidem fidei Catholicae veritates Christiano orbi credendas & profitendas obtrudere, minime dubitarunt; quo nimirum & Eugenius haereticus ab eis declararetur, sibique viam ipsi munirent ad eum Pontificatu dejiciendum.

Prima, Basileensium judicio, *Catholicae fidei veritas est, sacrum generale Concilium supra Papam & alium quemvis potestatem habere.*

Secunda, *Generale Concilium legitime congregatum sine ipsius consensu nec dissolvere, nec transferre, nec prorogare ad tempus, ex auctoritate sua potest Romanus Pontifex.*

Tertia, *Qui pertinaciter his veritatibus se opponit, haereticus est censendus.* Quod autem Eugenius Pontifex tres hasce propositiones negaret, Sessione XXXIV. haereticus declaratus, & loco motus est anno 1439.

„ Adversus Decreta illa Basileen-„ sia Sessionis XXXIV. *inquit Bossuetius*, Eugenius in Synodo Flo-„ rentina edidit Decretum, *Moyses*: „ ubi bis terque repetitur, Synodum „ Basileensem condemnandam, ejus-„ que Decreta esse irrita; sed ea, „ quae a die translationis facta sint: „ Ergo cetera Basileae, etiam post „ reconciliatam gratiam per bien-„ nium acta, ut verae, orthodoxae „ ac legitime continuatae Synodi acta „ habebantur: Atqui eo tempore „ Constantiensia Sessionis V. Decre-„ ta innovata; Ergo Decretum de „ ea innovatione factum nulla est „ authoritate rescissum, manetque „ integrum, ipsaque adeo Constan-„ tiensia Decreta firma & inconcus-„ sa stant.

Hisne argumentis probare audes, Constantiensia Decreta, hisque connexa Basileensia, in Synodo Florentina, auctore Eugenio, expresse fuisse adprobata? Quod nempe quae ante Synodi translationem *Basileae, etiam post reconciliatam gratiam, per biennium gesta sunt, ut verae, orthodoxae, ac legitime continuatae Synodi Acta habebantur.* Praeter ea, quae ad Caput praecedens Articulo secundo hac de re disseruimus, non pigebit hic Lectori exhibere, quae in hac ipsa Decretali, *Moyses*, de eisdem Basileensibus Actis Eugenius profert, ut hinc facile omnes dijudicent; Utrum ea Pontifex tanquam verae, orthodoxae, ac legitime continuatae Synodi Acta probaverit. Sunt quidem illa Eugenii verba paullo prolixiora, sed ea tamen integra hic exhibere operae pretium existimamus, ne Adversarii querantur, quidquam a nobis detractum eorum, quae ad illorum Basileensium Gestorum commendandam auctoritatem pertinerent: *Quam*, inquit, *Basileensem* (apertae perduellionis & schismatis) *impietatem dudum praevidere coepimus: quandoquidem illud tunc Basi-*

leen-

leense Concilium intuebamur jam in tyrannidem prolabi, dum multi etiam inferioris gradus ad illud veniendum standumque pro libitu factionis Auctorum cogerentur; dum nonnullorum vota & judicia diversis artibus extorquerentur; dum conspirationibus, conjurationibus, monopoliis & conventiculis pene omnia cederent, & pro ambitione Papatus diuturna protractio ipsius Concilii quaerebatur. Ubi denique innumerae novitates, inordinationes, deformitates, & quasi infinita patrabantur mala, ad quod etiam Laici & Clerici infra sacros Ordines constituti, ignorantes, inexperti, vagi, dyscoli, profugi, Apostatae, de criminibus condemnati, & de carceribus fugientes, nobis & suis superioribus rebelles, & reliqua istiusmodi hominum monstra concurrerent, qui & ab ipsis scelerum magistris in omnem corruptionis labem facile trahebantur. Haec Eugenii verba ad illa Basileensium Acta pertinere, quae ante Synodi translationem gesta sunt, quaeque adeo Bossuetius tanquam verae, orthodoxae & legitime continuatae Synodi acta, ab Eugenio & Florentina Synodo probata obtrudere vellet, ex eo compertum est, quod statim subjungit; nempe quod ut tantis malis occurreret, Basilea Synodum abduxerat, ac Ferrariam transtulerat. Translationem ergo praecesserant ea mala, quae Pontifici incitamento fuerant ad Synodum transferendam. Haec porro non fuisse ab Eugenio ad libitum exaggerata, patet ex litteris ab Ambrosio Camaldulensi ad Eugenium ipsum conscriptis post vulgatum a seditiosis & perduellibus nefarium illud, ut vocat, & plenum dedecoris adversus optimum Pontificem monitorium. *Equidem P. S. nunquam aliud fore existimavi, ex quo gustum coepi seditiosae factionis, scissuramque jam tunc futuram praevidi, & iniqua molimina & deprehendi & saepe argui. Quid enim aliud quam scandalum sperari posset ex malignantium illo conventu, ubi omnia pro voluntate gerunt, nullo Dei timore praevio, nullo casto zelo comitante, sed perturbationibus solis dominantibus ac dictantibus omnia?* Haec Vir Cl. doctrina ac pietate conspicuus, qui Basileam Pontificis Orator accesserat, Patribus Eugenii nomine suasurus, ut iniquum de Annatis decretum revocarent. Qui profecto quum coetum illum jam tum pro seditiosa factione & conventu malignantium, ubi nullus Dei timor, sed solae perturbationes depravatique animi affectus dominarentur, habuerit; quae inde decreta prodierant, habere non potuit ut verae & legitimae Synodi Acta; hoc est velut Acta & Decreta Synodi, quae in Spiritu Sancto & in Christi nomine legitime conveniret.

Pergit Illustrissimus Adversarius:
„ Id vero clarius apparebit, (nempe Decreta Constantiensia & priora Basileensia fuisse ab Eugenio & Florentina Synodo expresse adprobata)
„ si notas & qualificationes quas vo-
„ cant tribus veritatibus Basileensi-
„ bus adhibitas consideremus. Igi-
„ tur tres illae Basileenses veritates
„ ipsi Decretali insertae atque his
„ verbis damnatae sunt: *Ipsas propositiones superius descriptas, juxta pravum ipsorum Basileensium intellectum, quem facta demonstrant, veluti*

lnti sacrosanctae Scripturae, & sanctorum Patrum, & ipsius Constantiensis Concilii sensui contrarium .... sacro approbante Concilio, Florentino scilicet, *damnamus, reprobamus, ac damnatas & reprobatas nuntiamus*. „ Ubi sunt, subjungit Illustrissimus „ Auctor, qui nobis Concilium Florentinum objiciunt? Audiant in „ Concilio Florentino Propositiones „ Basileenses non absolute damnatas, „ sed ad pravum eorum intellectum: „ quem autem intellectum? Nempe „ eum, quem facta demonstrant; nempe, quod Synodum nulla causa, etiam maxima, & ad pacem Ecclesiae „ maxime faciente, transferri non posse, idque ad fidem Catholicam pertinerent dicerent. Eo ergo tantum „ respectu Basileenses propositiones „ damnat Eugenius.

Quae hic Bossuetius observat, non pertinent nisi ad secundam Basileensium propositionem. Quid ergo de prima Propositione dicendum? *Veritas de potestate Concilii generalis &c. supra Papam ..... declarata per Constantiense, & hoc Basileense generalia Concilia, est veritas fidei Catholicae*. Nihil hic de translatione Synodi generalis cum caussa, vel sine caussa; sed solum decernitur, fidei Catholicae veritatem esse, quod Synodus Constantiensis, eique ut ipsa jactabat, inhaerens Basileensis, definierant de potestate Concilii Oecumenici supra Papam. Sed & in secunda Propositione nihil aliud statuitur, quam quod reapse fuerat in Sessione XI. ab eadem Synodo constitutum, *quod Papa Concilium generale &c. sine ejus consensu nullatenus auctoritative potest dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre*. Idque solum additur ad illius sessionis Decretum, quod haec pariter Catholicae fidei veritas est. Nihil hic similiter de caussa etiam maxima, & ad pacem Ecclesiae maxime faciente; quam etiam interveniente, Synodum Pontifex transferre non possit. Non hoc certe Basileenses volebant; sed hoc tantum, (& hoc quidem aliis ipsorum doctrinae capitibus consentanee) ex Synodi ipsius judicio pendere, utrum sufficiens & legitima caussa interveniat Synodum transferendi. Quis porro sit pravus ille Basileensium sensus, quem in hisce Propositionibus Pontifex damnat, paullo post inquiremus.

Deinde quaerit Bossuetius, *qua nota*, Eugenius ejusmodi Propositiones afficiat. „ Nempe, inquit, eas „ damnat, ut quae essent contrariae „ Concilii Constantiensis sensui. En „ qualificatio, qua ipsa auctoritas „ decreti constet ex iis rebus repetita, quae ipsae in Ecclesia summae sunt authoritatis, Scriptura, „ Patribus, Concilii Constantiensis „ Dogmatibus. Qui enim Basileensia Decreta Constantiensibus adversa damnat, is profecto Constantiensium investigandum sensum: „ authoritatem vero certam & indubitatam esse definit. Quid ergo certius, quam id, cui adversari, certa damnatio est? Vel quid „ magis ad Concilii authoritatem facit, quam ejus Decreta Scripturis & Patribus conjuncta proferri ut certam fidei normam?

Quanti haec valeant, mox expendemus. Interim observamus, Con-

stantiensis quidem Synodi aliquam a Pontifice haberi rationem, nullam vero Basileensis: atque eum quidem sollicitum esse, ut pravi sensus suspicionem a Constantiensibus Patribus submoveat, secus autem a Basileensibus, etiam in eorum prioribus Gestis. Quod argumento est, aliquo apud eum loco fuisse Synodi Constantiensis etiam priores sessiones, quamquam ea nondum, ex illius sententia, ut mox videbimus, Oecumenica auctoritate polleret; nullo vero pretio & auctoritate fuisse quaecunque Basileensium Gesta, quamquam ab Adversariis sollenniter ab ipso Pontifice adprobata ferantur.

„ Et quidem, *inquit*, de Basi-„ leensibus Synodum post transla-„ tionem continuantibus, haec prae-„ miserat: *In hoc perniciosissimi dum suam malignitatem sub veritatis fidei fuco colorant, Constantiense Concilium in malum ac reprobum sensum, & a sana doctrina prorsus alienum pertrahunt, ceterorum schismaticorum & haereticorum falsam doctrinam sequentes, qui confictos errores & impia dogmata, ex Divinis Scripturis & Sanctis Patribus perverse intellecti, semper sibi adstruere moliuntur*. Ex quibus Bossuetius has elicit consecutiones. „ Sunt ergo De-„ creta Constantiensia non de qui-„ bus Catholici dubitent, sed quae „ haeretici & schismatici pervertant, „ ut sacram Scripturam, ut sanctos „ Patres. Summo ergo honori ac „ venerationi habenda. Quae por-„ ro Decreta, nisi ea, quibus Ba-„ sileenses usi erant, hoc est, „ Sessionis V. decreta? Ergo ea „ Decreta certa & immota: de quo-„ rum auctoritate, tot jam Pontifi-„ ciis & Conciliaribus Decretis aper-„ te approbantibus, nonnisi teme-„ re, ne quid dicam gravius, du-„ bitari possit.

Quid quaeso ex Eugenii verbis eas elicis consecutiones, quas ab illius mente alienas esse, & ipse disertis verbis pronuntiat, & tu optime noris? Itane Lectorum simplicitati illudendum est, aut eorum patientia & otio abutendum? Praemiserat Eugenius, Constantiensia illa Decreta *per unam tantum ex tribus Obedientiis post recessum Johannis XXIII. sic in eadem Obedientia nuncupati, schismate tunc vigente*, edita fuisse. Quae certe non alio pertinere quisquam facile intelligit, quam ut eis Oecumenicam detrahat auctoritatem. Idque etiam in sua ad hoc decretum Responsione Basileenses intellexerunt. Quis ergo ferat, Illustrissimum Adversarium ex Eugenii verbis tales elicere consecutiones, quas a tua mente penitus fuisse alienas, tam disertis ipse verbis testatus est? Nempe Constantiensia Decreta eodem loco habenda esse atque Scripturam & sanctos Patres; summo item honori ac venerationi habenda esse: talia esse, de quibus Catholici non dubitent; denique certa illa esse & immota, de quibus nonnisi temere, ne quid etiam dicatur gravius, dubitetur. Apage ludibria! Sed nondum commentorum finis.

Postquam enim quem modo ex Eugenii Decretali exscripsimus locum adtulisset, quaerit Meldensis Episcopus: „ An ergo propterea Con-„ stantiensibus Decretis detrahit au-

„ cto-

„ ctoritatem, qui Basileenses eorum decretorum auctoritate damnet? Esto Constantiensia Decreta Sessionis V. Eugenius Pontifex oblique, si ita placet, perstricta voluerit; nae tu iniquus sis, qui quod narrando oblique & obiter dictum sit, ipsi decreto anteponas. Neque vero dicas, laudari Constantiensia Decreta non ut certae auctoritatis, sed ut quae a Basileensibus allegata sint: diserte enim Pontifex pronuntiat, perversa fuisse a Basileensibus Decreta Constantiensia ea audacia, eo ritu, quo ab haereticis & schismaticis Scriptura quoque & Patres soleant. Plane eo sensu, quo Petrus docet, Pauli Epistolas, ut & ceteras scripturas, a pravis hominibus fuisse perversas; hoc est, eo modo, quo ad commendandam Constantiensium Decretorum auctoritatem nihil dici potuit firmius.

Magnam profecto esse oportet gravium argumentorum penuriam, quando ad haec tam inepta & inania Viri gravissimi rediguntur. Nam, ut libere dicam quod sentio, haec omnia Viri Cl. effata, mera commenta & somnia sunt. Commentum est, quod Eugenius Basileenses Constantiensium V. Sessionis Decretorum auctoritate damnarit; ut qui solum dixerit, sensum, quem Constantiensibus illis Decretis Basileenses adfingebant, Constantiensis Concilii sensui repugnare. Quod profecto aliunde patere potest, quam ex iis decretis, quibus Basileenses innitebantur. Commentum est, quod Eugenii Decreto id anteponamus, quod ab ipso oblique & obiter dictum sit. Non ita profecto res habet; sed quod ab Eugenio utcunque, ut ais, oblique & obiter, vere tamen & reapse dictum est, cum decreto ipso conciliandum esse contendimus: ac nae tu potius iniquus sis, qui omnino gratis, ac ne cum levissima quidem rationis umbra Eugenium cum Eugenio ipso committis. Commentum est, quod Eugenius eamdem Constantiensibus Decretis, atque sacris litteris, & Patrum traditioni tribuere voluerit auctoritatem, propterea quod illorum sensum sic dixerit a schismaticis & haereticis depravari, quemadmodum & sacrae litterae & Patrum scripta ab eisdem in pravum & reprobum sensum detorqueri solent. Quid ergo? An ea tantum corrumpere ac depravare solent haeretici, unde firmissima & inconcussa adversus illos argumenta eruantur? Quidni & ea unde solum verosimilia? Cujusmodi sunt, quae ex singularibus Patribus colliguntur. At certum est, haereticos in aliquorum Patrum scripta grassatos esse, aliis intactis, quibus nihilominus refellerentur. An ergo singulorum auctoritatem, cum sacris litteris, & communi omnium traditione, & cum Pauli Epistolis comparaveris? An tu in hoc argumento id inesse ponderis judicabis, ut contra disertum ipsius Eugenii testimonium, Oecumenicam, summam, & ineluctabilem auctoritatem Constantiensibus illis Decretis vindicemus? Somnia haec, ut diximus, visiones & commenta sunt.

Nec minus futilia & contemnenda sunt quae sequuntur: „ Jam quod

„ ad eorum sensum attinet, haud „ minus finita res ex Eugenii IV. „ auctoritare & judicio. Nempe Ad- „ versarii Constantiensium Decreto- „ rum sensum eum esse volunt, ut „ adversus dubios tantum Pontifices „ valeant. Atqui Eugenius cum ei „ in primo & in secundo dissidio Con- „ stantiensia assidue objectarentur & „ inculcarentur, nunquam id respon- „ dit. Imo vero responsum in pri- „ mo dissidio dictis factisque confu- „ tavit, cum Basileenses Constan- „ tiensium Decretorum authoritate „ adversus ipsum quoque indubitatum „ licet Pontificem usos edito Diplo- „ mate agnovit orthodoxos, iisque „ insuper ut superioribus paruit. Qua- „ re nec in secundo dissidio rebus „ exasperatis ab illo fundamento re- „ cessit; etsi Basileenses, multa in „ se gravissima ex Decretis Constan- „ tiensibus molientes, definivit ab „ eorum decretorum sensu deflecte- „ re; non tamen ideo quod ea de- „ creta in Pontificem indubitatum „ verterent; sed quod assererent, „ nullam omnino esse caussam, prop- „ ter quam Synodus a Papa trans- „ ferri possit, idque ad fidem Ca- „ tholicam pertinere: neque ullo de- „ creto quidquam aliud in Basileen- „ sibus condemnavit, quam quod tan- „ ta licet Graecorum reducendorum „ necessitate translati, continuassent „ Synodum; neque ulla Synodica „ Decreta irrita declaravit, nisi ea „ quae post translationem facta es- „ sent. Quare ille est sensus, quem „ Constantiensibus Decretis male af- „ fingi definivit. Manent cetera, „ Eugenio quoque judice, immota; „ nempe ut Constantiae Decreta „ summa & indeclinabili auctori- „ tate constent, utque extra schis- „ matis tempora sub indubitato quo- „ que Pontifice, suo nativoque sen- „ su valeant; nempe in fidei, in „ schismatis, in generalis reforma- „ tionis casibus. Quod unum Pa- „ tres Gallicani sua declaratione com- „ plexi sunt, neque translationis a „ Basileensibus spretae quaestionem „ ullo modo attigerunt.

Quae omnia jam nobis superius luculentissimis argumentis confutata sunt. Nempe ostendimus, de Eugenii mente non ex iis statuendum esse quae coactus & invitus egit, sed quae gessit ac litteris commendavit, quum liber esset, & ex animi sui sententia scriberet, ageret ac loqueretur. Quae cujusmodi fuerint, non est quod hic rursus inculcemus. Ostendimus etiam, falsum omnino esse, quod schismatici Basileenses contenderent, nullam prorsus esse vel gravissimam caussam, propter quam Synodus a Pontifice transferri possit; sed quod id fieri non possit absque Synodi ipsius consensu, cujus esset de ipsa translationis caussa judicium ferre. Quod certe Constantiensibus, saltem ex Basileensium sententia, ac prioribus ipsorum Basileensium Decretis nitebatur. Denique ostendimus, quaecumque adversus Romani Pontificis auctoritatem post reconciliatam gratiam Basileae per biennium & decreta sunt, irrita ex se fuisse, & pro irritis ab Eugenio habita, quoniam Legati Sedis Apostolicae sine potestate & jurisdictione ad praesidendum Concilio suscepti fuerant, & quoniam decreta illa, iisdem Legatis intercedentibus & refragantibus,

per

per vim & tyrannidem paucorum ut plurimum sancita atque edita fuerant.

Ut ergo sensus ille pravus ac reprobus statuatur, quem Eugenius in iis Basileensium Propositionibus damnarit; observandum est, illas, quod ad substantiam dogmatis pertinet; quod scilicet Papa subjiciatur Concilio, nec illud absque Patrum consensu transferre possit; ex Constantiensibus Decretis erutas esse, & saepius a Basileensibus in medium adductas & confirmatas. Id vero tum ipsum Eugenium, tum ejus Legatos improbasse quidem, sed nondum ullo sollenni decreto reprobasse. Tunc ergo primum sollenniter Propositiones illas confixit, quum Basileensium temeritate additum est, eas ad fidem Catholicam pertinere, aut fidei Catholicae veritates esse, quas qui neget haereticus censendus sit, & tamquam haereticus judicandus, Sedeque Apostolica, quamquam unicus & indubius Pontifex fuerit, dejiciendus. Hunc ergo esse eum reprobum pravumque sensum, quem in iis Basileensium Propositionibus Eugenius confixerit, tria haec argumenta suadent. 1. Quoniam Eugenius, ut jam observavimus, illas propositiones non prius sollenni decreto notavit, quam eas in fidei dogmata erigere Basileenses ausi sunt. 2. Quoniam hunc sensum, ut ait Pontifex, facta ipsa monstrabant; quum his propositionibus freti, ad eum velut haereticum judicandum, ac Sede Apostolica dejiciendum, temere ac per summum scelus aggressi sunt. 3. Quoniam hic sensus reapse Constantiensis Concilii sensui aperte contrarius erat: quod nimirum Decreta illa Sessionis quintae *per modum Constitutionum Synodalium*, non autem velut fidei decreta promulgarat; atque ut superius ostendimus, Patres Constantienses, imo & ipsi Basileenses hactenus pro Catholicis habuerant, qui a doctrina illarum Propositionum abhorrebant. Quapropter & in ipsa Latrocinali tum Synodo tumultus, seditiones, ac pene feralia dissidia inter primores Episcopos ac Theologos excitata sunt, quum de his veritatibus, ut vocabant, sanciendis, & in fidei dogmata erigendis deliberatum est. De quibus videsis Aeneam Silvium in Historia Concilii Basileensis. Erat ergo Constantiensis Concilii sensui contrarium, quod ejus decreta ut fidei dogmata vel articuli proponerentur.

Sed quod pertinet ad Scripturas & Patrum traditionem, non ea tantum ratione dici potuit, eorum sensui Basileensium Propositiones adversari, quod Synodi Oecumenicae auctoritas supra certum & indubium Pontificem tanquam fidei veritas sanciebatur; sed quoniam absolute huic Basileensium doctrinae Scripturarum & Patrum testimonia refragabantur. Non enim vel in sacris litteris vel in Patrum scriptis habetur, eos esse damnandos, qui illas Propositiones, ut fidei dogmata propugnarent, & velut haereticos judicarent, qui Pontificem supra Concilium eveherent. Quare his temerariis Censoribus haud alia ratione adversarii possunt sacrae litterae & Patrum scripta, quam quod generatim ipsa eorum doctrina Scripturarum & Patrum testimoniis profligetur. Quum ergo Eugenius Basilensium Propositiones tanquam

quam Scripturarum & Patrum sensui repugnantes damnavit, non modo propter acerbitatem censurae; quo pacto etiam Constantiensis Concilii sensui adversabantur; eas damnasse censendus est, verum & simpliciter, &, ut saepius diximus, quod ad ipsam substantiam dogmatis pertinet: quo pacto ipsa etiam Constantiensia Sessionis V. Decreta notavit; saltem eo sensu, ad quem illa Galli Theologi revocant, & revocanda esse contendunt.

CAPUT X.

„ An Decretum Unionis Florentiae
„ editum Constantiensia Decreta
„ antiquarit.

„ Jam, inquit Illustrissimus Au-
„ ctor, perpendere nos oportet
„ Decretum Unionis Florentiae edi-
„ tum; illud scilicet, quo Latini
„ Graecique conjuncti sunt: hoc enim
„ Decreto Constantienses Canones
„ reprobatos Bellarminus asserit,
„ cujus dicta alii passim exscribunt.
Decreti autem haec verba sunt: *Definimus, sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum; & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem exsistere; & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse: quemadmodum etiam in Gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur*. Ac paullo post: *Salvis privilegiis omnibus* (Patriarcharum) *ac juribus eorum. Datum Florentiae in sessione publica Synodali &c. pridie Nonas Julii*. „ Haec
„ sunt, quibus Constantiensia Decre-
„ ta abrogata esse voluit. Quod est
„ falsissimum.

Neque Bellarminus neque nos adfirmamus, scopum mentemque Eugenii in hoc decreto fuisse, Constantiensia Sessionis V. Decreta configere ac notare; sed Graecis Doctrinam exponere de Romani Pontificis Sedisque Apostolicae Primatu, quam Romana Ecclesia profitetur, & quam omnes Catholici profiteri debeant. Hoc autem iis ab Eugenio verbis praestitum est, quae vix conciliari posse contendimus cum Constantiensibus illis Sessionis V. Decretis. Quod & non pauci ex ipsis Gallis agnoscunt, qui propterea Florentinam Synodum e generalium numero expunctam vellent. Si enim Romanus Pontifex totius Ecclesiae Caput est, atque ipsi in Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam plena potestas a Christo tradita est; ergo tota Ecclesia, ergo universalis Ecclesia Romano Pontifici tanquam Capiti, Pastori, Rectori & Gubernatori subdita est, ab ipso pascenda, regenda & gubernanda. Porro in Synodo Oecumenica, cujus praecipua praerogativa est, quod universalem repraesentat Ecclesiam, non major potestas & auctoritas esse potest, quam sit in ipsa Ecclesia universali. Quare si haec Romano Pontifici ut Capiti, Pastori, Rectori & Gubernatori subdita est; & ipsam pariter Oecumenicam Synodum ei subditam esse oportet, tanquam

quam ab illo cum plena potestate pascendam, regendam & gubernandam. Quemadmodum reapse & in Actis generalium Conciliorum & in sacris Canonibus continetur; ut in eodem Decreti unionis articulo additum est. Ita Actione II. Ephesinae Synodi universi Patres Caelestini litteris tanquam membra Capitis vocibus concinuerunt; & Sedis Apostolicae Legatis eum totius fidei caput & columnam, & Ecclesiae Catholicae fundamentum praedicantibus, consenserunt. Ita & Act. III. Concilii Chalcedonensis S. Leo caput universalis Ecclesiae, ejusque post Petrum Apostolum fundamentum, & petra fidei, & caelestis regni Janitor, plaudentibus Patribus, nuncupatur. Et in Epistola Synodica ad S. Leonem, eum Synodo velut caput membris praefuisse; ipsam autem Synodum ei velut capiti consensisse, universi Patres testantur: qui & eumdem velut filii Patrem deprecantur, ad eumque referunt quidquid ejus auctoritate in Synodo gestum esset, quemadmodum bona filiorum ad patrem velut ad auctorem referenda sunt. Ita demum, ut ea quae saepius in medium adlata sunt, in praesentia omittamus, & octava Synodus Can. II. Nicolai I. & Hadriani II. Decreta sese suscipere profitetur ob eam legem, quae ab Apostolo ad Hebraeos Cap. XIII. lata est, quave jubet, ut praepositis nostris subjecti simus. Speciatim vero lecta in Synodo fuerant, & omnium suffragiis confirmata Romanae Synodi Acta sub Hadriano II. ubi is hoc privilegium Romano Pontifici vindicaverat, ut a nemine, ac ne ipsis quidem Conciliis Oecumenicis, nisi in causa haeresis, ac praevio Sedis Apostolicae consensu, judicetur. Cui & ipsa Synodus Can. XXI. concinens ait: *Quod si Synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit de sancta Romanorum Ecclesia quaevis ambiguitas & controversia, oportet venerabiliter & cum omni reverentia de proposita quaestione sciscitari, & solutionem accipere, aut profectum facere; non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romae Pontifices.*

Haec ergo & alia hujusmodi passim in Actis Conciliorum & sacris Canonibus continentur: ex quibus evidenter efficitur, ad Romanum Pontificem pertinere Ecclesiam universalem, non modo dispersam, verum & in Synodis Oecumenicis collectam & adunatam, velut Caput, Pastorem, Rectorem & Gubernatorem pascere, regere & gubernare: Hanc vero illi tanquam Capiti, Pastori, Rectori, Patri & Gubernatori subesse, ab eo pascendam, regendam & gubernandam. Quod Graeci perinde ac Latini in Synodo Florentina sollenniter professi sunt, quum Romano Pontifici in Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam plenam potestatem traditam esse dixerunt, *quemadmodum & in Actis generalium Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur*. De quorum verborum sensu, vi ac potestate jam nobis latius disserendum est.

CA-

CAPUT XI.

ARTICULUS UNICUS.

„ De vero ſenſu eorum verborum „ Decreti Unionis : *Quemadmodum* „ *etiam in Geſtis Oecumenicorum* „ *Conciliorum continetur* .

Poſtrema illa Florentini Decreti verba : Quemadmodum etiam , *vel* , Et &c. *quae Graecis examuſſim reſpondent* , *eum tantum ſenſum admittunt* , *quem nos illis tribuimus* : *fruſtraque Boſſuetius & alii ipſa rerum geſtarum verborumque ſerie in alium ea ſenſum detorquere conantur*.

NUllum Adverſarii non movent lapidem ut evincant , ea verba definitioni addita eſſe , ut omnes intelligerent , Romani Pontificis auctoritatem , ex Latinorum Graecorumque Patrum ſententia , Conciliis & Canonibus ſubditam eſſe , ejuſque uſum ad modum in Actis Synodorum & in ſacris Canonibus praeſcriptum eſſe coërcendum . Itaque aut vulgatam Latinam interpretationem temere ſollicitant , aut plura comminiſcuntur , quo retenta vetere interpretatione alienum iis verbis ſenſum adfingant: aliique vertendum ac legendum eſſe pronuntiant ; *Ad eum modum* , *qui &c.* non autem , *Quemadmodum etiam &c.* Alii vero & Graeca & Latina in unam & eamdem conſpirare ſententiam docent ; eaque prolata fuiſſe , ut plena poteſtas , quam Florentini Patres Pontifici adſerebant , ſacrorum Conciliorum & Canonum auctoritate non tantum probaretur , ſed etiam antiquis ſuiſque coërceretur finibus . Quae ſententia eſt Illuſtriſſimi Adverſarii , quae pro rei gravitate ſedulo nobis excutienda eſt.

JOhannes Launoius (*a*), & poſt eum Ludovicus Main.bourg (*b*) , Nat. Alex. (*c*) , & alii docent , verba illa Graeci textus in Decreto Unionis , *καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς* &c. haud fuiſſe vertenda, quemadmodum in Vulgatis Conciliorum editionibus legitur : *Quemadmodum etiam in Actis &c.* ſed , *Quemadmodum & in Actis &c.* vel potius, *Juxta eum modum , qui & in Actis &c.* „ Sic „ legendum eſt , *Quemadmodum &* „ *&c.* inquit Launoius , non vero , „ *Quemadmodum etiam &c.* ut Abra„ hamus Cretenſis vertit , & Juſtinia„ nus ſubdole retinuit . Ac ſubiungit : „ quod Latinae *huic* editioni conſen„ tit Graeca , ubi ſic habetur : *καθ'* „ *ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς* „ *τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ ἐν* „ *τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται*. „ *Juxta eum modum , qui & in Actis* „ *Oecumenicorum Conciliorum , & in* „ *ſacris Canonibus continetur* . Eademque fere habent & Ludovicus Maimbourg , & Nat. Alex. , quorum alter vulgatam verſionem falſam appellat: Et

(*a*) 3. Par. Epiſt. ad Thom. Rulland.
(*b*) Trait é Hiſtoriq. de l'établis &c. de l'Egliſ de Rome chap. XX.
(*c*) Diſſert. VIII. num. XII. & Diſſert. X. num. XIV. in Hiſt. Saecul. XV. & XVI.

Et non pas selon la fausse version &c. Alter vero, Graecum textum ita *omnino*, quemadmodum eum vertit Launoius, reddendum esse pronuntiat, non vero ut habet, inquit, Latina versio Conciliorum collectioni inserta.

Quae omnia etiam Illustrissimus Petrus de Marca sequentibus verbis complexus est (*a*). „ Sententia hu„ jus Decreti haec est, summam & „ plenam administrandae Ecclesiae „ potestatem a Christo fuisse Ponti„ fici traditam, ea lege, ut ea „ utatur juxta modum, qui & in „ Actis Conciliorum Oecumenico„ rum & in Canonibus continetur. „ Itaque Graeci obtinuerunt, quod „ tantopere urgebant, scilicet, pri„ vilegia Papae secundum Canonum „ praescriptum esse interpretanda. „ Eadem esse debet mens verborum „ Latinorum; quae tamen a con„ textu Graeco desciscunt, propter „ leve mendum, quod incuria Ama„ nuensium irrepsit in his verbis, „ *Quemadmodum et in Gestis Conci„ liorum*. Nam Latina lectio prae„ fert. *Quemadmodum etiam in Ge„ stis*. Qui error primam Concilii „ hujus e Graeco in Latinum versi „ editionem invasit. Ejus versionis „ auctor est Bartholomaeus Abra„ mus Cretensis Episcopus Ariensis, „ quam anno MDXXVI. publica„ vit: in qua multoties hallucinatus „ est, ut observat Arcudius (*b*). „ Suspicari licet, de industria hunc „ locum ab eo minus sincere red„ ditum; quia contentiones, quae „ de Canonibus inter Graecos & La„ tinos emerserunt, in Latina inter„ pretatione Concilii omnino dissimu„ lat. Quod discrimen alienam a pa„ ctis conventis cum Orientalibus „ sententiam Decreto affingit; cum e „ Graeco contextu conficiatur. Pa„ pae privilegia esse explicanda & „ exercenda secundum Canones & se„ cundum Acta Conciliorum Oecu„ menicorum, id est, octo Conci„ liorum, quae ex Occidentali & „ Orientali Ecclesia constabant. At „ e contextus Latini depravata le„ ctione eruitur, plenam esse Pa„ pae potestatem, idque probari A„ ctis Conciliorum & Canonibus. „ Si quis sibi persuadere malit, de„ lusos a Latinis Graecos ambigua „ scribendi ratione, per me licet; „ praecipue cum apud Antoninum „ eadem lectio Latina repraesente„ tur. Verba autem Graeca in sin„ cero sensu modum exercitio po„ testatis Pontificiae imponunt ei si„ milem, quem Ecclesia Gallicana „ tuetur. Quae fere omnia, oppido falsa sunt. Falsum, in Latini textus versionem mendum irrepsisse; Falsum, Latina verba a textu Graeco desciscere; Falsum, Latinae versionis auctorem fuisse Abrahamum Cretensem; Falsum, eadem Latina verba habenda esse tanquam Graecorum verborum interpretationem; Falsum denique, a Latinis Graecos fuisse delusos, aut delundi potuisse. Quae mox a me singillatim demonstrabuntur. Interim vero ex hisce Illustrissimi Auctoris verbis satis aper-

(*a*) Lib. III. de Conc. sac. & Imp cap. VIII num. V.
(*b*) Lib. III. de Conc. Eccles. Occid. & Orient. cap. IX.

te constat, cur communem & pervulgatam Lectionem ejusmodi Scriptores sollicitandam existimarint; quod nempe ex ea eruatur, plenam esse Romani Pontificis potestatem; idque ex Actis Conciliorum & Canonibus demonstrari. Quod etiam Launoium cavisse ex sequentibus ejus verbis ap paret: „ Mutatio, inquit, particu-„ lae, *&*, in particulam, *etiam*, pa-„ scendae, regendae & gubernan-„ dae Ecclesiae rationem & formam „ pervertit, & habitas Patribus pro „ asserendo Primatu disputationes ut „ invalidas procul amandat. Parti-„ cula, *etiam*, regnedae Ecclesiae „ modum ultra sacros Canones & „ Acta Oecumenicorum Concilio-„ rum, de quibus sermo instituitur, „ protendit: at geminata particula, „ *&*, *&*, *καὶ*, *καὶ*, regendae Ec-„ clesiae modum intra sacros Cano-„ nes & Acta Oecumenicorum Con-„ ciliorum, de quibus sermo insti-„ tuitur, coercet. Concinit Maimbourg, qui vulgatae versionis sensum exponens ait. „ Perinde ac si dice-„ retur, ipsos quoque Conciliorum „ Canones, plenam regendae univer-„ salis Ecclesiae potestatem, Pontifici „ vindicare: qui sensus, inquit, Sy-„ nodi verbis omnino repugnat, (*c'est* „ *un sens tout contraire aux paroles* „ *de ce Concile*), quae solum ait, „ Pontificem a Jesu-Christo recepisse „ potestatem ad regendam Ecclesiam „ juxta modum, qui illi per Cano-„ nes praescriptus est, vel, *Juxta* „ *eum modum, qui & in Gestis Con-*„ *ciliorum & in Canonibus contine-*„ *tur*. Si ergo antiquae versionis auctoritas adstruatur, neque eam temere fuisse sollicitandam invicte demonstretur, consequens erit, jure ac merito illimitatae potestatis Defensores, ut ipsis Meldensis Episcopi verbis utar, asserere, postrema Decreti Florentini verba proferri, non ad coërcendum justis legibus Pontificiam potestatem; sed tantum ad demonstrandam, pascendi ac regendi potestatem plenam, quae anterioribus verbis definitur, a Conciliis quoque generalibus sacrisque Canonibus fuisse agnitam; & hunc sensum hac voce, *etiam*, maxime, imo & unice comprehendi (*). „ Age vero productis „ autographis, quibus maxima aucto-„ ritas inest, utris adhibenda sit fides „ videamus; Gallisne adfirmantibus, „ verba Synodi: *Quemadmodum* „ *etiam in Gestis &c.* ex Graecis „ bonis Latina facta esse non bona; „ an Italis contra acriter vehemen-„ terque pugnantibus? Silvester Sy-„ ropulus, infensissimus ille Roma-„ norum hostis in *Historia vera unio-*„ *nis non verae* (a) quinque omnino „ Exemplaria, Papae atque Impe-„ ratoris subscriptionibus munita fuisse „ prodidit. Sed plura ne fuerint sub-„ signata, necne: non equidem la-„ boro. Illud certe mihi est explo-„ rate compertum & cognitum, „ quinque Decreti ejusdem exem-„ plaria etiamnum superesse, quae „ Pontificis, Imperatoris, multorum-„ que Patrum Chirographis confirma-„ ta

(*) Quae hic de Graeci Latinique textus consonantia accuratius disputantur, ea mihi perhumaniter communicavit egregius Juvenis F. Thomas *Lusinianus*, alias *Mamachius* Chiensis Ord. Praed. probe & supra aetatem Latinis Graecisque litteris, Philosophicis ac Theologicis disciplinis excultus. (a) Sect. X. cap. XVII.

,, ta sint. Ac priore quidem loco
,, memorare oportet, quod in Gazo-
,, phylacio Magni Etruscorum Ducis
,, servatur, altero autem, quod vi-
,, situr in Bibliotheca Faesulana PP.
,, Reformatorum S. Francisci, cujus
,, Transumtum quam accuratissime
,, exaratum penes me habeo, tertio,
,, quod in Colbertina, Bossuetio prae-
,, dicatore ac teste, quarto quod Vir
,, Cl. & in omni studiorum genere
,, versatissimus Scipio Maffejus nu-
,, per Bibliothecae Vaticanae dono li-
,, beraliter dedit, quodque egomet
,, non ita pridem hisce oculis vidi,
,, quinto denique, quod in Arce S.
,, Angeli extat. In Latino autem
,, horumce omnium textu sic oppido
,, verba eadem leguntur: *Quemad-*
,, *modum etiam in Gestis icumenico-*
,, *rum Conciliorum, & in sacris Ca-*
,, *nonibus continetur*. Launoius igitur,
,, Maimburgius & Nat. Alex. ani-
,, mum inducent suam illam legen-
,, di rationem contra Autographorum
,, fidem defendere? Nonne enim
,, haec, ita ut scripta hic sunt, clara
,, voce ab Juliano Cardinale (a) lecta
,, fuerunt in Synodo? Tum vero quum
,, praesto essent Bessarion, Trape-
,, zuntius, Gennadius aliique com-
,, plures Graeci, qui Latini sermonis
,, peritia Launoio ceterisque, quos
,, inimicos experior, multis parasan-
,, gis praecederent; quidni nostros
,, summi sceleris arguerunt, quod
,, fraude mala Graecis imponere
,, auderent, si Latinus textus ulla ra-
,, tione discrepasset a Graeco? Post
,, itane improbis moribus fuisse La-
,, tinos putabimus, ut Graecis fucum
,, fieri paterentur? Quid enim? Prae-
,, stat aliorsum verba Bossuetii trahere
,, atque ipse accepit: An Graecos
,, dicamus fuisse delusos? An subdola
,, interpretatione avocatos eos ab eo
,, sensu, quo Graeca ipsa ferrent?
,, Absit hoc ab Ecclesiae Latinae can-
,, dore ac majestate; quare in eam
,, potius iremus sententiam, quam
,, Latina verba postulant, quaeque,
,, uti mox videbimus, cadere optime
,, potest in Graeca. Neque vero iis
,, assentior, qui Latinum textum me-
,, rae interpretationis numero haberi
,, oportere contendunt. Est enim
,, primigenius, omnium Latinorum
,, atque Graecorum sermonem Lati-
,, num callentium, qui Synodo ade-
,, rant, consensione probatus; quo
,, circa si quis est, qui de illius au
,, ctoritate quidquam detrahendum
,, putat, is profecto nullam habebit
,, Latinae Ecclesiae rationem.

,, Sed ades animo atque una vi-
,, deamus, an Graeca Latinis alte-
,, ra ex parte respondeant. Tunc
,, enim Adversarii fasces supponant
,, necesse est qui cum se Latinis pres-
,, sos atque agitatos vident, ad Graeca
,, velut ad aram confugiunt. Ludunt
,, autem illi, quum καθ' ὃν τρόπον καί,
,, in *quemadmodum etiam* aut nullo
,, pacto, aut contorte omnino verti
,, posse contendunt. Ego vero, neque
,, commodiorem ullam neque aequa-
,, biliorem esse hac interpretandi ra-
,, tionem puto. Quis enim ita est in
,, Graecis institutionibus peregrinus
,, atque hospes, quem fugiat τὸ κατὰ
,, idem plane atque *ad* identidem
,, indicare? Legant, ac lexicogra-

I 2 ,, phos

(a) Syropul. In Histor. Vera Union. non verae sect. X. cap. X.

,, pitos omnes, si vim Graecorum
,, vocabulorum assequi ipsi per se ne-
,, queunt, diligenter evolvant, com-
,, pertumque habebunt; multa esse
,, Scriptorum Graecorum loca, in
,, quae haec nostra interpretatio ap-
,, te competere possit & commode.
,, Tritum est illud τῶν ἑβδομήκοντα:
,, cap. I. Genesis a Philone Judaeo,
,, & ab Graecis Patribus saepe ac
,, multum vexatum: ποιήσωμεν ἄν-
,, θρωπον κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν
,, ἡμῶν. Veteres novique interpretes,
,, qui, magnos progressus in Graecis
,, Latinisque disciplinis ac linguis fe-
,, cerunt, sic oppido vertendum esse
,, putarunt: *faciamus hominem ad*
,, *imaginem & similitudinem nostram.*
,, Non is ego sum, qui *secundum ima-*
,, *ginem* verti non potuisse dicam; sed
,, qui *ad imaginem* transferri etiam
,, commode potuisse contendam. Quid
,, *capite XV. Actor. Apostolicorum.*
,, *Versu XI. & cap. XXVII. ver. XXV.*
,, nonne τὸ καθ' ὃν τρόπον a vulga-
,, to interprete in *quemadmodum* ver-
,, titur. Jam vero illud Platonis ῥητὸν
,, e primo de republica libro κατὰ
,, τὴν χρείαν, nonne a Budaeo, & aliis
,, pluribus lexicographis traductum
,, κατὰ λέξιν est, *ad necessitatem*. Sed
,, hoc quidem palmare quod καθάπερ
,, & καθὰ adverbia, quorum alterum
,, ex κατὰ, & ἅπερ, alterum ex
,, κατὰ, & ἃ conflari video, in idem
,, omnino recidant, atque τὰ *sicuti*,
,, *quemadmodum &c.* Quod si Lau-
,, noio aliisque generis ejusdem gram-
,, matistis esset auctoritas adjungenda,
,, qui τὸ κατὰ in *secundum* traduci
,, oportere defendunt καθὰ, & καθά-
,, περ in *secundum quae* transferri om-
,, nino deberent; quo quid unquam
,, dici, aut commemorari posset ob-
,, tusius? Verum quoniam semel su-
,, sceptmus genus hoc argumenti, age
,, quaeso atque una videamus quor-
,, sum evadat. Pugnat Launoius τὸ
,, καθ' ὃν τρόπον hanc esse veram
,, interpretationem latinam: *secundum*
,, *eum modum qui*. Sed quis homi-
,, nem docuit, ut cum ratio nulla
,, postulat, de suo adjungat τὸ *eum*
,, cujus in Graeco exemplari nullum
,, prorsus extat vestigium? Tum
,, τὸ ὃν accusativum in *qui* nomina-
,, tivum sine caussa commutare non-
,, ne est hominis otio ac litteris abu-
,, tentis? Quod si quisquam nihil
,, plane immutet, vertatque τὸ καθ'
,, ὃν τρόπον in *secundum quem mo-*
,, *dum*, quam erit ille Romanae lin-
,, guae cultoribus deridendus? Quis
,, enim, rogo, est, qui aliquam his
,, verbis inesse vim censeat proprie-
,, tatemque significandi? *Et ipsi* (Pon-
,, tifici) *a Domino nostro Jesu Christo*
,, *plenam potestatem traditam esse*
,, *secundum quem modum & in gestis*
,, *icumenicorum Conciliorum & in*
,, *sacris Canonibus continetur*. Ergo
,, quum τὸ κατὰ in *ad* apte ac com-
,, mode transferri identidem posse
,, ostensum demonstratumque sit, haec
,, una erit κατὰ λέξιν germania τῆ
,, καθ' ὃν τρόπον interpretatio. *Sicu-*
,, *ti, quemadmodum &c.* Quamob-
,, rem Graecus textus ita latino
,, respondet, ut nequeat ovum ovo
,, esse similius.

,, Nam qui opponunt τὸ καὶ in
,, *&* verti posse, in *etiam* contra
,, nonnisi contorte posse; nae illi ve-
,, hementer erraverint. Omitto Ste-
,, phanum, Budaeum aliosque lin-
,, guae Graecae cultores, quamvis
,, mi-

mihi magno sint praesidio & adjumento. Ad ῥητὰ Scriptorum Graecorum descendo. Quid? τὸ ἀλλὰ καὶ, in *sed etiam*, τὸ καθάπερ καὶ in *quemadmodum etiam* aut non accurate transferre licet? Nega, si potis es, κατὰ λέξιν hanc esse Plutarchianae pericopes interpretationem latinam *In Alexandro*: οὐ γὰρ μόνον τὴν θεωρίαν ἠγάπησεν, ἀλλὰ καὶ νοσοῦσιν ἐβοήθει τοῖς φίλοις, καὶ συνέταττε θεραπείας τινὰς καὶ διαίτας. *Non enim solum speculativam amavit, sed etiam amicis laborantibus auxilia tulit, & medicationes quasdam & diaetas praecepit*. Viden ut geminatum & &, καὶ καὶ nihil impediat, quominus τὸ ἀλλὰ καὶ in *sed etiam* converti possit? Haec autem Aristotelica (*lib. de Audibil. apud Porphyr. commentar. in Musir. Ptholemaei*) ἀδύνατον γὰρ, μὴ τελέως τούτων διηρθρωμένων, τὰς φωνὰς εἶναι σαφεῖς· καθάπερ καὶ τὰς τῶν δακτυλίων σφραγῖδας, ὅταν μὴ διατυπωθῶσιν ἀκριβῶς: Quid obstat quominus hac ratione transferantur? *impossibile enim, non perfecte his dearticulatis vocem esse claram; quemadmodum etiam annulorum sigilla, si non exculpantur exacte*. Dixerat aliquanto superius: ἀνάγκη γὰρ καὶ τοῦ ἔξωθεν ἀέρος τοιαύτας γίγνεσθαι τὰς πληγὰς, καὶ μάλιστα τὰς φωνὰς οὕτω διαπέμπεσθαι συνεστώσας πρὸς τὴν ἀκοὴν, ὥσπερ καὶ τὰς ὀσμὰς, καὶ τὸ φῶς, καὶ τὰς θερμότητας· καὶ γὰρ πάντα ταῦτα ἀραιότερα γενόμενα πρὸς τὴν αἴσθησιν, ἀσημότερα γίγνεται· καθάπερ καὶ οἱ χυλοὶ κραθέντες τῷ ὕδατι καὶ ἑτέροις χυλοῖς. *Necesse enim etiam externi aeris tales fieri percussiones, & maxime voces ita emitti constitutus ad auditum, sicut etiam odores, & lucem, & caliditates: etenim haec omnia rariora dum apparent, sensui debiliora fiunt: sicut etiam succi temperati aqua, & aliis succi*. Ita vertit ad litteram Franciscus Patricius Vir Clarissimus graeceque ad miraculum doctus. Quod si haec succi & lucis & annulorum exempla, quoniam aut similitudinis, aut confirmationis eorum, quae Aristoteles disputaverat, loco afferuntur, in caussa sunt cur τὸ καθάπερ καὶ, atque etiam τὸ ὥσπερ καὶ in *quemadmodum etiam* transferantur, quid est, quod ea Decreti Unionis verba: καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται, ut eorum quae superius posita fuerant confirmatoria intelligi nequeant atque in hunc modum transferri: *Quemadmodum etiam in Gestis icumenicorum Conciliorum* κ. τ. λ. veluti latinus textus efflagitat? Sed quid plura persequor? Graeci qui aut praesto Synodo adfuerunt, aut eam proxime attigerunt aetatem non Catholici solum, verum etiam e medio schismatice, non alio sensu Decreti verba acceperunt, quam latina praeseferant. Habe tibi Rhacenditae schismatici apud Johannem Plusiadenum verba. (*Dialogo pro Synodo Florentina pag. 645. Tom. I. Graec. Orthod. Leonis Allatii.*) Φράσον μοι παρακαλῶ

μὴ

,, μὴ ὀκνήσας , καὶ περὶ τοῦ τελευ
,, ταίου κεφαλαίου τοῦ ὅρου Πῶς τὸν
,, ῥώμης ἀρχιερέα λέγετε εἶναι κε-
,, φαλὴν πάσης τῆς ἐκκλησίας , καὶ
,, μὴ καὶ αὐτὸν ὡς ἕνα εἶναι τῶν
,, ἄλλων πατριαρχῶν ; Respondet
,, Plusiadenus . Ἡμεῖς πάτερ αἰδέ
,, σιμε , ὡς ἕνα τῶν πατριαρχῶν
,, τὸν τῆς ῥώμης ἀρχιερέα λέγομεν
,, κ. τ. λ. Rhacend. ἔστω τοῦτο ὁμο-
,, λογῶ καὶ δέχομαι . Ἀλλ' ὅτι
,, αὐτὸν δεῖν εἶναι ΤΟΝ ΚΑΝΟ-
,, ΝΙΖΟΝΤΑ ΠΑΣΑΝ ΓΗΝ ΕΚ-
,, ΚΛΗΣΙΑΝ , ΚΑΙ ΝΟΜΟΘΕ-
,, ΤΟΥΝΤΑ ΤΗΝ ΠΙΣΤΗΝ ΕΤΙ-
,, ΓΕ ΑΠΟΡΩ . Plusiadenus : ΤΟΥ-
,, ΤΟ ΠΑΡΑ ΤΟΥ ΣΩΤΗΡΙΟΥ
,, ΕΙΛΗΦΕ στόματος . . . . . . ἀπὸ
,, τούτων ἔλαβεν ἐξουσίαν τοῦ στηρίζειν,
,, καὶ ἐξετάζειν , καὶ κανονίζειν ,
,, καὶ διορθοῦν τὰ περὶ τὴν πίστιν .
,, *Age mihi , nec deponas studium ro-*
,, *go , de postremo Decreti capite , qua*
,, *ratione dicitis Romanum Pontificem*
,, *caput universae Ecclesiae , nec cen-*
,, *setis eum tanquam unum ex Patriar-*
,, *chis ?* Plusiaden. *Et nos Reverende*
,, *Pater , Romanum Pontificem tam-*
,, *quam unum ex Patriarchis cen-*
,, *semus . . . .* Rhacendita. *Esto hoc .*
,, *Fateor , & recipio ; sed decere ipsum*
,, *esse qui universam Ecclesiam re-*
,, *gula dirigat , & fidem praescribat ,*
,, *nondum plane capio .* Plusiaden. *Hoc*
,, *ab ore Salvatoris habuit .* Allatis
,, vero Christi Servatoris Petrum
,, alloquentis verbis sic tandem argu-
,, menti concludit sententiam : *His*
,, *auctoritatem habet confirmandi ,*
,, *examinandi , dirigendi , & res fidei*
,, *corrigendi .*

,, Accedit Georgius Trapezuntius,
,, qui etsi alicubi minus accurate de
,, Romani Antistitis auctoritate lo-
,, quatur , ut quae affirmat , ne
,, Galli quidem probare possint , ubi
,, tamen de Unionis Decreto sermo-
,, nem instituit , non coarctari eam
,, Canonibus Conciliorum , sed magis
,, magisque illis confirmari contendit .
,, (*In Epist. ad Cretenses . Pag. 579.*
,, *Tom. I. Graec. Orthod. Leon. Al-*
,, *latii*) Πάντες , inquit , μιᾷ βουλῇ ,
,, μιᾷ γνώμῃ , μιᾷ ψυχῇ . . . .
,, ὁμοφωνήσαντες , καὶ τῇ τῶν πα-
,, λαιῶν πατέρων , καὶ διδασκάλων
,, τῆς ἐκκλησίας διδασκαλίᾳ , μᾶλ-
,, λον δὲ τῷ εὐαγγελίῳ ἀκολουθήσαν-
,, τες ὑπέγραψαν τῷ συντεθέντι
,, παρ' αὐτῶν ὅρῳ , ἐν ᾧ δύο τὰ με-
,, γιστα περιέχεται . . . . . καὶ ὅτι
,, πρῶτος τῶν ἀρχιερέων πάντων ὁ
,, ῥώμης ; *Omnes unis animis , una*
,, *mente , unaque voluntate concordes ,*
,, *& antiquorum Patrum atque Do-*
,, *ctorum Ecclesiae doctrinae confor-*
,, *mes , quin immo Evangelium se-*
,, *quentes , compositae ab iisdem defi-*
,, *nitioni subscripserunt , in qua duo*
,, *potissima continentur . . . . & pri-*
,, *mum Praesulem Romanum esse :*
,, Patrum autem doctrina quaenam
,, rogo est , quam quae sacris Cano-
,, nibus illorumque operibus conti-
,, netur ? Habeo alia multa , quae
,, nunc condonabuntur , quae profe-
,, rentur post , si pergant Adversarii
,, laedere . Illud interea teneo : ma-
,, nere immotam Latini textus au-
,, ctoritatem . Quare si quis ea n
,, sollicitare ausit ; nihilo plus aget
,, quam ut cum ratione insaniat .

Jam vero quid Bossuetius , & Nat. Alex. & alii proferant , quo Decreti verba in eum sensum , quem

La-

Latinus textus nullo modo patitur, jure ac merito detorquere videantur, sedulo expendamus: „ Id, inquit „ Bossuetius, non jam nudis verbis, „ sed quod Theologum maxime de„ ceat, ipsa verborum gestorumque „ serie. Haec ille: in quae profecto optime illud quadrat, quo nos supra capite IX. ipse Meldensis Episcopus excipiebat: *Nae tu iniquus sis, qui* non jam *quod narrando oblique*, ut vis, *& obiter*, tamen in Decreto ipso *dictum sit*; sed quae a Graecis in praeviis disputationibus temere, ut mox videbimus, ac perperam dicta sint, *ipsi Decreto anteponas*, in quo Graeci pariter ac Latini unam tandem & eamdem fidem, diverso quidem idiomate, sed uno tamen eodemque sensu ac spiritu professi sunt. Quid enim Bossuetius, quid Nat. Alex. quid alii proferunt? Nempe haec imprimis Bessarionis verba, quae Latinis reposuit, quum in additione vocis *Filioque* Ecclesiae Romanae auctoritatem urgerent: *Scimus quidem*, inquit, *quae sint jura & praerogativae Romanae Ecclesiae: nihilominus scimus, praerogativae ejus quos terminos habeant*. „ Haec „ jam inde a Synodi initio Grae„ ci profitebantur Sessione IX. Plura vero ex ea Nicaeni Archiepiscopi disputatione Nat. Alex. (a) in medium adfert, quae oppido mihi praetereunda non sunt: *De potestate autem Occidentalis Ecclesiae multa dicenda suppeterent, nisi aliud nobis esset propositum. Et scimus quidem quae sint jura & praerogativae Romanae Ecclesiae: nihilominus scimus etiam, praerogativae ejus quos terminos habeant. Nosse tamen volumus Reverentiam vestram, a nobis facultatem hanc negari universae Ecclesiae, & Synodo, vel etiam Oecumenicae, non tantum Romanae Ecclesiae. Quoniam igitur quantacumque facultate polleat Romana Ecclesia, minus tamen Synodo Oecumenica, & universali Ecclesia, si nos id universae negamus Ecclesiae, multo magis negabimus Romanae. Negamus autem non ipsi a nobis, sed arbitramur hoc Patrum decretis negatum*. Haec ex ea Bessarionis oratione Nat. Alex. qui statim subjungit: „ Romanam Eccle„ siam, adeoque & Romanum Pon„ tificem ipsi praesidentem, univer„ sali Ecclesia, & Synodo Oecume„ nica ipsam repraesentante inferio„ rem, coram Eugenio IV. & fre„ quenti consessu Patrum in solemni „ sessione Florentinae Synodi asserit „ Bessarion totius Orientalis Eccle„ siae nomine; nemo reclamat, „ nemo redarguit: nec summus Pon„ tifex, qui jura certe sua noverat, „ nec Cardinales, Episcopi, Theo„ logique Latinae Ecclesiae doctis„ simi, ipsum Pontificiam dignita„ tem violare, aut de ea male senti„ re, vel prope haereticum esse „ clamaverunt: Imo *nihil responderunt*, ut habent Acta. At vero „ non dicam Bessarionis, sed totius „ Ecclesiae in eo Concilio congre„ gatae auctoritati anteponenda Bel„ larmini auctoritas &c.

Quanti haec valeant, simili omnino ex iisdem verbis ducto argumento experiamur: Occidentali Ecclesiae imo & Ecclesiae universae, & Synodo Oecumenicae ipsam repraesentan.

(a) Dissert. VIII. in Hist. Eccles. Saec. XV. & XVI. num. XIII.

tanti, coram Eugenio IV. & frequenti consessu Patrum in sollenni sessione Florentinae Synodi, Bessarion totius Orientalis Ecclesiae nomine facultatem detrahit addendi Symbolo vocem *Filioque*; nemo reclamat, nemo redarguit, nec summus Pontifex, qui perinde ac sua, & universae Ecclesiae, & Synodi Oecumenicae jura certe noverat, nec Cardinales, Episcopi, Theologique Latinae, Ecclesiae doctissimi, ipsum Ecclesiae universae & Synodi Oecumenicae dignitatem & jura violare, aut de eis male sentire, aut prope haereticum esse, clamaverunt: Imo *nihil responderunt*, ut habent Acta. Videat Nat. Alex. quo illum hoc suum argumentum ducat. An enim dicere audebit; quod tamen inde sponte ac necessario fluit; non jam unius Bessarionis, sed totius Ecclesiae in eo Concilio congregatae, auctoritate probatum & constitutum esse, non modo Romanae vel Occidentalis, sed neque universalis Ecclesiae jure ac facultate addi potuisse Symbolo vocem *Filioque*? Et quidem, speciatim quod spectat ad Romanum Pontificem & Ecclesiam Occidentalem, Graecorum schismaticorum sententia erat: sed eis ut alibi demonstravi (a) Ratramnus Corbejensis, Aeneas Parisiensis, Anselmus Havelburgensis, aliique Latini Scriptores acerrime restiterunt. Falso autem ac pessima fide velut ex Synodi Actis, relatum est, quod ad eam Bessarionis disputationem Pontifex, Cardinales, Episcopi, Theologique Latinae Ecclesiae doctissimi *nihil responderunt*; perinde atque illam a Bessarione Graecorum nomine prolatam haeresim adprobarint. Extant quidem duo illa verba in Actis Graecis; quorum tamen hic fidem merito in suspicionem Horatius Justinianus adducit (b); sed omittenda non erant quae in eisdem Actis praecedunt & sequuntur, eaque cum Latinis conferenda: inde enim apertissime patuisset, nequaquam Patres Latinos in eam Bessarionis & Graecorum haeresim consensisse, vel suo eam silentio tacite adprobasse. Sic enim in Actis Graecis, ex quibus duo illa verba Nat. Alex. evulsit: *Haec quum Nicaenus dixisset, illi, nimirum qui selecti erant, una cum omnibus Cardinalibus & aliis quibusdam accessere ad Pontificem; ac per aliquantum temporis spatium habito simul consilio, federunt. Quumque opus esset ad ea, quae Nicaenus proposuerat, apposite respondere, illi quidem nihil responderunt. Vix tandem vero Praesul Colossensis sermocinari aggressus, nullum interrogationi congruum dedit responsum: neque enim suppetebant illi, ut arbitror, aptae responsiones & caussae reddendae: sed orsus dicere tantam verborum effudit redundantiam, ut conveniens praefixumque tempus effluxerit.* Non ergo Latinos nihil omnino ad ea Bessarionis verba respondisse, Graecorum Actorum Editor prodit: sed Colossensem Praesulem nihil eorum nomine apte respondisse, partium utique studio, comminiscitur. Quid

(a) Tom II. lib. III cap. XV. artic. un c. & alibi.

(b) Vide sis in Not. ad Collat. VIII. Syn. Flor. quae Graecor. Actor. Sess. IX. respondet.

Quid porro responderit, quod Graecus Scriptor referre noluit, ex Latinis Actis habemus, & quod quidem ad propositum attinet, quae sequuntur: *Quum vestrum problema fuisset, quomodo sancta Romana Ecclesia fecerit rem prohibitam, & quomodo illi licuit: dixi ad hoc, quod non fuerit additio, quod non fuerit prohibitum, quod fuerit verum, quod impellente maxima necessitate, quod esset manifesta veritas in Ecclesia Dei, & quod oportebat id fieri per Romanum Pontificem, ad cujus officium specialiter ista spectare noscuntur: ex quibus conclusi, fuisse omnino licitum Romanae Ecclesiae illam declarationem facere.* Et infra: *Et inviti venimus ad silentium partis illius*; quod scilicet paticula *Filioque* manifestam in Ecclesia Dei veritatem contineret; *& certe satis moesti. Ex illius enim partis probatione facile erat probare, fuisse licitum Romanae Ecclesiae facere declarationes.* An adhuc Nat. Alex. jactabit, eam Bessarionis disputationem manifestam haeresim continentem, fuisse Latinorum silentio, atque adeo totius Synodi auctoritate probatam?

Adjungit Bossuetius quaedam Eugenii IV. Bessarionis & Graecorum Imperatoris verba, quae in unam hanc sententiam conspirent, non unius Romani Pontificis voluntate, vel unius Romanae aut Occidentalis Ecclesiae auctoritate, sed universalis Ecclesiae consensione, cum alias omnes fidei controversias, tum praecipue celeberrimam hanc de vocis *Filioque* ad Symbolum additione finiendas ac dijudicandas esse. Ubi imprimis quod ad Graecos attinet, observandum est, eos jam plurimum in hisce cum Latinis disputationibus profecisse. Nam Sessione IX. ut jam vidimus, ipsi quoque Synodo Oecumenicae & universali Ecclesiae facultatem adesse negabant addendi Symbolo vocem *Filioque*: At Sessione XXV. Bessarion & Imperator, ut ex eorum locis & verbis a Bossuetio laudatis exscriptisque compertum est, hanc eamdem facultatem & Ecclesiae universae & Synodo Oecumenicae disertissime vindicabant. Quod ergo eos nondum in Romano Pontifice vel Ecclesia Romana id juris agnoscentes Eugenius tolerabat, remque toties definitam retractari patiebatur, quo communi tandem judicio & consensione sanciretur; optimi Pastoris, ut alibi luculentissime demonstravi (a), indulgentia erat, qua eos paullatim ac suaviter sibi & Ecclesiae Romanae perfecte conjungere satagebat. Quid enim jure ab eis exigere potuisset, satis jam compertum & exploratum habebat Clementis IV. & Gregorii X. suorum Praedecessorum exemplo, qui ad Michaëlem Palaeologum Graecorum Imperatorem fidei formulam destinarant ab eo Graecisque antea subscribendam, quam generalis Synodus haberetur, quam postea celebrari posse indulgebant, non ad eam tamen fidei formulam retractandam, *quam tanquam ..... Romanorum Pontificum stabili diffinitione firmatam nec ipse* (Clemens IV.) *voluit, nec nos intendimus, sicut non decet, nec foret expediens, in dubium, novo eam exponendo examini, revocare*: inquit Gre-

(a) Tom. I. Par. 2. cap. XXXV. art. unic.

Gregorius X. in litteris ad Michaelem Palaeologum Graecorum Imperatorem: qui laudatam fidei formulam & suscepit, & suis ad eumdem Gregorium litteris inseruit, eaque ipsius nomine in Concilio Lugdunensi a Georgio Acropolita & magno Logotheta subscripta est. In ea porro se credere profitebatur, *quod vere tenet & fideliter docet & praedicat sancta Romana Ecclesia*, atque inter cetera, *Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedentem*. Quam fidei Confessionem si Romani Pontifices, vel antequam Oecumenica Synodus haberetur, jure a Graecorum Imperatore elicuerunt; quanto magis Eugenio licuisset ad eamdem absque novo examine profitendam Graecos adigere, postquam etiam fuerat secundi Lugdunensis Concilii auctoritate firmata? Sed indulgentia, ut jam diximus, uti voluit, quo eos paullatim ad perfectam fidei confessionem proveheret. Hinc ea de Spiritus Sancti processione controversia semel composita, petiit a Grecis Eugenius, ut tandem id etiam faterentur: quod *licuerit ei* (Romano Pontifici) *suo jure, quippe ut summo Pontifici, adjicere quod sacro Symbolo addidit*. Id jam Graeci in Synodo Lugdunensi palam professi fuerant. Quare summae temeritatis fuit, quod ab eis Eugenio responsum est, *Postulatum esse iniquissimum*, nec eis licitum esse adfirmare; *facultatem esse Romanae Ecclesiae addendi seu demendi absque suis fratribus Patriarchis*. Qua tamen de re nulla in Romanos Pontifices a Graecis in Synodo Lugdunensi quaestio commota est, sed hoc tantum petierunt, ut eis & deinceps liceret sine voce *Filioque* Symbolum recitare. Quis ergo inficias iverit potuisse Eugenium jure suo adigere Graecos ad ea sine ulla retractatione servanda & profitenda, quae ipsi antea in Synodo Lugdunensi sollenniter professi fuerant; adeoque ad Apostolicam optimi Principis oeconomiam & indulgentiam referendum esse, quod res jure suo prorsus irretractabiles retractari in Synodo Florentina permiserit, quo rursus communi consensione sancirentur? Sed propius ad praesentem disputationem pertinent quae sequuntur.

„ Jam ne quid supersit dubii, operae pretium erit diligenter excutere quae dixerint, quum de privilegiis Papae speciatim ageretur, ac postrema haec, de quibus nunc agimus, Decreti verba expenderentur. Graeci igitur sic loquuntur: *Ad misimus privilegia Papae, praeter quam duo, ne convocet Synodum Oecumenicam sine Imperatore & Patriarchis, si conveniant. Quod si advocentur, nec veniant, ne impedimento sint quominus Synodus fiat. Alterum est, ut si quis putet se ab aliquo Patriarcharum pati injuriam, & veniat qui interposuit appellationem, ne Patriarchae ipsi se sistant judicandos, sed Papa mittat Inquisitores ad Provincias κατὰ χώραν & ibi in partibus τοπικῶς judicetur*. Hic Papa respondit, *se velle omnia Ecclesiae suae privilegia; velleque ad se fieri appellationes: nec non regere & pascere universam Christi Ecclesiam uti ovium Pastorem. Auctoritatem praeterea sibi esse & facultatem celebrandi Synodum Oecumenicam, quum opus fuerit: & omnes Patriarchas parere ejus voluntati*. „ Haec postulata Papae, subjungit

„ Bos-

„ Bossuetius, omnia ad absoluta imperia revocantis Graeci respuere: „ Gestaque Synodi sic habent: *Imperator his auditis desperavit, nec aliud respondit nisi: curate de nostra hinc profectione*. Adeo abhorrebant ab eo, ut Ecclesia non Canone, sed voluntate regeretur. Ergo conventum est, ut Papa regeret Dei Ecclesiam, *salvis Patriarcharum Orientis privilegiis & juribus*: quo fixum, valere Canones, nec mero imperio regi Ecclesiam, omnibusque Ecclesiis sua jura canonico ordine fundata constare.

Mirum est, quam varias in his Meldensis Episcopi scriptis personas induat Eugenius. Nunc enim Constantienses Canones probat, amplectitur, exosculatur; adeoque se se & Conciliis Oecumenicis subditum & eorum decretis obnoxium agnoscit ac profitetur; ab eaque mente quam longissime abest, qua nihil absurdius aut iniquius fingi possit, ut graviora & difficiliora, de Pontificis Primatu, a Graecis, quam a Latinis peteret. Nunc autem cum Graecis agens, ad absoluta imperia omnia revocat, totaque inter ipsum & Graecorum Imperatorem concertatio in eo posita est; an ratione primatus Pontifici inesset auctoritas ad Ecclesiam universalem mera voluntate & imperio, an Canone certisque legibus gubernandam. Et iis quidem Pontificis postulatis nihil absurdius aut iniquius fingi posse, ex Meldensis Episcopi sententia dicendum est; ut contra, nihil aequius ea Graecorum resistentia, ne ad illa Pontificis postulata consentire compellerentur. Secus tamen de his judicabit qui animum advertet ad ea, quae olim Graeci in secunda Synodo Lugdunensi professi fuerant. His enim & duo illa capita continebantur, de quibus nunc Eugenio litem Graeci & eorum Imperator intendunt. Nam quod pertinet ad Patriarcharum Orientis privilegia, ea tunc illi ad Sedem Apostolicam velut ad fontem & originem referebant. Patebantur enim imprimis, quod ad Sedem Apostolicam *potest gravatus quilibet super negotiis ad Ecclesiasticum forum pertinentibus appellare: & in omnibus caussis ad examen Ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest judicium recurri*. Fatebantur etiam, quod *eidem omnes Ecclesiae sunt subjectae*, & quod *ipsarum Praelati ipsi obedientiam & reverentiam exhibent*. Praeterea nihil se admissuros spondebant *contra doctrinam sanctorum generalium Conciliorum, quae celebrata sunt a spirituali dominatione Ecclesiae Romanae* *συγκροτηθεισῶν τῇ πνευματικῇ δεσποτείᾳ τῆς ἐκκλησίας τῆς Ῥώμης*. Quibus verbis celebrandorum generalium Conciliorum auctoritatem & potestatem ad Sedem Apostolicam referebant. Denique sic esse fatebantur penes Ecclesiam Romanam plenitudinem potestatis, ut ceteras, ac potissimum Patriarchales, in partem sollicitudinis admitteret: quas etiam *diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia decoravit*. Porro, ut Johannes Provincialis in Synodo Florentina publice praedicabat, mens non erat Eugenii aliarum Ecclesiarum privilegia turbare, quae ex Justiniano Imperatore probabat, ex ipsa Ecclesia Romana velut ex legum & Sacerdotii fonte tanquam rivulos profluxisse: *Nec Ecclesia Romana vult turbare* ejus

ejus (Constantinopolitanae Ecclesiae) *privilegia*, *imo & sibi & aliis Ecclesiis vult servare privilegia*. *Unde Justinianus dicit*: Legum originem antiqua Roma sortita est, & summi Pontificatus apicem, & Sacerdotii fontem apud eam esse, nemo dubitat. *Si ergo est fons Sacerdotii*, *ergo sicut ex fonte derivantur rivuli*, *ita aliae Ecclesiae ut filiae vocantur in partem sollicitudinis ad conservandam Ecclesiae unitatem*, *& ex ea suam originem habuerunt*. Quis ergo dixerit, inde recte probari Pontificem Conciliorum legibus esse subditum, quod aliis Ecclesiis privilegia servare velit, quorum ipse auctor, fons & origo sit? An si Rex Christianissimus dixerit, suae mentis ac voluntatis esse, quod Parisiensi *Parlamento*, quae ipse vel ejus Decessores privilegia dedissent, sarta tectaque serventur; inde quisquam jure colligeret, eum Regni legibus esse subditum, nec mero & absoluto imperio Galliae Regnum administrari?

Pergit Illustrissimus Adversarius: „ cum in eo jam essent ut conscriberetur Decretum unionis, de Papae privilegiis sic erat scriptum, ut Papa illa habeat *juxta determinationem sacrae Scripturae*, *& dicta Sanctorum*. Obstitit his verbis Imperator: *An si quis*, inquit, *Sanctorum in Epistola honoret Papam*, *excipiet hoc pro privilegio?* Ac Papae significavit, ut aut hoc corrigeret, aut de reditu ejus cogitaret: cogebatque apponi, *juxta tenorem Canonum*, & non, *secundum dicta Sanctorum*. Nunc nemo negaverit, quin tunc vel maxime quaereretur, non de constituenda, sed de regenda suisque coërcenda finibus Pontificia potestate, cum Graeci vererentur, ne ambigua formula Papae privilegia in immensum tenderent. Quare hic omnis unionis spes rursus pene concidit: datetque omnino intellexisse Graecos, regendam quidem a Papa universam Ecclesiam juxta Canones, non mero Imperio & absoluta voluntate. Quae cum diu multumque agitata fuissent, atque omnino Eugenius quidem vocem illam, *secundum dicta Patrum*, vehementer urgeret, Graeci vocis ambiguitate deterriti haud minore vehementia repugnarent: tandem conventum est, *ut Papa habeat sua privilegia juxta Canones & dicta Sanctorum*, *sacramque Scripturam & Acta Synodorum*: quae collecta simul veram administrandae Ecclesiae formam exhibebant: patebatque, a Synodo Papalis potestatis non solum habendae firmamentum, sed etiam exercendae regulam fuisse praescriptam. Hic Eugenius *dicta Sanctorum* toties inculcata omisit, ut quae jam ipsi quoque ambigua viderentur, convenitque utraque Ecclesia in hanc formam, ut Papae quidem inesset a Christo tradita regendae ac pascendae Ecclesiae potestas, sed secundum eum modum, qui & in Gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Quae quidem Gersoni, Alliacensi, nostrisque concinunt, in Papa agnoscendam plenitudinem potestatis, sed a Conciliis sacrisque Canonibus regulandam. Hinc autem videre est, cur jam Eugenius

„ nius hanc vocem, *dicta Sancto-*
„ *rum*, hîc omitti ipse vellet, quippe
„ cum haud satis apta videretur regu-
„ landae Pontificiae potestati, quę Ca-
„ nonibus quidem & Conciliis Oecu-
„ menicis, non autem dictis Sanctorum
„ generatim sumptis parere soleat.

Quicunque hanc Bossuetianae disputationis pericopen legerit, in eam facile sententiam descendet, Graecos, ac potissimum eorum Imperatorem, auctores fuisse, ut articulo de Primatu Pontificis illa adderentur verba: *Quemadmodum etiam &c.* & haec itidem: *salvis privilegiis Patriarcharum & juribus eorum*: Latinos autem, atque imprimis Eugenium, qui Pontificiam auctoritatem nullis voluissent finibus circumscribi, invitos & pene coactos his tandem additamentis consensisse, quibus regendae Ecclesiae forma praescriberetur, & Pontificia potestas certis quibusdam limitibus coërceretur. Sed hanc meram fabulam esse, ex Actis demonstramus: ex quibus aperte constat, Eugenium ultro Graecorum Imperatori & selectis Episcopis praefatum articulum cum iis clausulis communicasse, ut de illo deliberarent.

Composita namque ea quae maxime urgebat de processione Spiriritus Sancti controversia, Eugenius Rhuteno, Nicaeno & Mitylenensi Episcopis, ad se post obitum Patriarchae, feria sexta XII. Junii accedentibus, significavit, velle se, quo unionis opus felicius ac perfectius absolveretur, ut de his etiam articulis convenirent; scilicet de fermentato & azymo, de Purgatorio, de Primatu Papae, de additione vocis *Filioque*, & de Mysteriorum consecratione. In Actis autem Latinis adjungitur, Ecclesiae Romanae de eisdem articulis doctrinam scripto fuisse traditam, & eisdem Episcopis ab Eugenio communicatam, ut illam Imperatori ac ceteris adprobarent. Articulus autem de Primatu & de Juribus Patriarcharum iis omnino verbis conceptus erat, quibus deinde in fidei Definitione seu Decreto Unionis expositus est: deque illo feria tertia XVI. Junii coram Pontifice & Imperatore, aliisque Latinis & Graecis Patribus copiose disseruit Johannes provincialis, singula ferme ejus verba testimoniis Patrum, Actis Conciliorum, & Romanorum Pontificum Synodicis epistolis confirmando. Haec tamen Johannis disputatio Imperatori non multum placuisse videtur, ac vix consensit, breve scriptum seu *schedulam* a Pontifice accipere, qua memorati Articuli continebantur: Quibus ab ipso una cum selectis suae Nationis Episcopis diligentius examinatis; *reperimus*, inquit Graecorum Actorum editor, *ea quinque Latinorum Postulata aequa omnia & recta ..... & compulimus valde Imperatorem dicentes: nos omnia recipimus, & statuatur rei finis.* Verum Imperator varias circa Articulum de Primatu difficultates excitavit, velut intelligere cupiens, quaenam speciatim privilegia Latini iis verbis Romano Pontifici vindicarent. Quare jussus est Provincialis rursus de privilegiis Papae disserere ea oratione, quam Acta Graeca ad Feriam quintam XVIII. Junii referre videntur, Acta vero Latina ad diem XX. referunt. Ex hac Johannis disputatione habemus, quinam scrupuli Imperatoris animum pun-

ge-

gerent. Id vero potissimum animadversione dignum est, quod quum in praecedenti disputatione Johannes Provincialis Agathonis, Hadriani, & Concilii Chalcedonensis Synodicas epistolas laudasset, testimonia ex iis excerpta minus apta Imperatori visa fuerant Catholico dogmati confirmando, & probationem ex solis canonibus & capitulis Conciliorum institui voluisset. Verba ipsa adferenda sunt, ut quae maximam lucem sequentibus Gestis affundant: *Et quo ad Epistolas*, inquit Johannes, *ita dicebatur: Quod illa, quae nos inducebamus ex his epistolis, videbantur verba per modum honoris posita, & videbantur ut non facerent auctoritatem quam voluissent; sed voluissent videre Canones aut Capitula Conciliorum, ex quibus ea possunt colligi, quae ponuntur in cedula & capitulo Primatus*. Quem scrupulum Dissertator Graecis eximere conatus est uberrime demonstrando, quod *Epistolae illae Decretales, quum omnes essent epistolae Synodicae, non minorem habent auctoritatem, quam ipsi Canones*.

Hinc vero plura colligere atque intelligere est. Et primo quidem cur Latini quum ad concinnandam fidei definitionem perventum est, articulo de privilegiis Papae adjungi voluerint, *quemadmodum definiunt sacrae litterae ac dicta Sanctorum*: quae verba articulus ille initio non habebat. Scilicet volebant Latini, Sanctorum dictis, ac praecipue Romanorum Pontificum & Conciliorum epistolis, adserere auctoritatem, quam Graeci illis adimere satagebant. Secundo intelligitur, cur ea verba Imperatori displicuerint, & cur ea e Decreto Unionis expungi omnino voluerit, & eorum loco illa reponi, *Juxta tenorem Canonum*. Quod nimirum Canones quidem generalium Conciliorum idoneum Catholico dogmati confirmando praebere argumentum existimabat, secus autem dicta vel scripta Sanctorum: quorum pleraque praesertim in epistolis, ex officio quodam potius quam ex vera animi sententia ducta atque profecta esse suspicabatur. Quis enim horumce duorum locorum consonantiam non statim animadvertat? *Videbantur* inquit Johannes Provincialis, *verba per modum honoris posita*, nec satis habere auctoritatis; ideoque Canones & Capitula Conciliorum in medium adferri voluissent. In Actis autem Graecis rejicit Imperator a fidei definitione *dicta Sanctorum*, & *Canones* substitui petit, quoniam ad stabiliendas firmandasque Romanae Sedis praerogativas, minus illi apta & idonea videntur, quae Sancti officii caussa in suis ad Pontificem litteris conscripsissent: *An si quis Sanctorum in epistola honorat Papam, excipiet hoc pro privilegio?* At vero Latini graviter ferentes Sanctorum dictis abrogari a Grecis auctoritatem, toto pectore contendebant, ut *dicta Sanctorum* in definitione retinerentur: *Unde enim*, inquiebant, *melius possumus habere primatum, quam ex dictis Sanctorum?* Ac rursum: *de dictis vero* (Sanctorum) *quo pacto illa velimus in definitione allegari, nihil ambigimus; quum dicta Sanctorum sint, & per ea Symbolum quoque fidei compositum sit, & sacrificium, & quidquid Canonibus continetur; ac sine dictis Sanctorum nihil sit factum*.

Quae

Quae plurimum valebant ad commendandam eorum dictorum auctoritatem. Graeci autem nova adhibita consultatione, consenserunt quidem, ut dicta Sanctorum allegarentur, sed una cum sacris litteris, & Canonibus & Actis Conciliorum: *Nos* (Graeci) *consilium iniimus, scripsimusque habenda esse a Papa sua privilegia juxta Canones & dicta Sanctorum, sacramque Scripturam & Acta Synodorum*. Quod Latinis satisfecisse non videtur, quod Sanctorum dictis ideo Synodorum Acta & Canones jungerentur, quod sola illorum auctoritas Graecis minus efficax videretur. Eaque fuisse ratio videtur, cur tandem Sanctorum dicta penitus omissa sint, & articulus in definitionem insertus, cujusmodi ab initio fuerat concinnatus, & per schedam Graecis a Pontifice communicatus, cum sola clausula: *Quemadmodum etiam &c.* Ex quibus omnibus tertio loco colligitur, in eo positam fuisse hanc Latinos inter & Graecos disputationem, an in dictis Sanctorum satis momenti esset ad probandam Romani Pontificis potestatem super universam Ecclesiam, adfirmantibus Latinis, Graecis autem negantibus. Quarto ex jam dictis habemus, quod quamquam, uti recte superius adnotatum est, tum Graecus tum Latinus Decreti Unionis textus pro originariis haberi debeant; attamen si invicem conferantur, Graecus potius pro Latini textus versione habendus est, quam contra. Articuli enim de quibus nunc agimus, primum seorsim a Latinis conscripti sunt, Graecisque traditi ut illos examinarent, deinde vero totidem verbis in decretum inserti sunt. Quod quum etiam graece vulgari placuisset, in Graecum sermonem fuerunt articuli convertendi. Non ergo a Launoio, Maimburgo, Nat. Alex. Petro de Marca & aliis fuerat Latinus textus sollicitandus, nec Latinus Interpres exagitandus, perinde ac illud Graecorum καθ' ὃν τρόπον καὶ &c. minus bene reddiderit: *Quemadmodum etiam &c.* sed contra, si haec examussim haud sibi responderent, Graecus interpres culpandus esset, quod Latinum, *Quemadmodum etiam &c.* haud recte vertisset, καθ' ὃν τρόπον καὶ &c. ac proinde textus Latinus regula esse debet, ad quam Graecus exigendus est, secus atque Adversarii opinantur. Unde tandem efficitur, quod quum Latini, atque imprimis Eugenius, ea verba protulerint, non utique ad coërcendam subjiciendamque & circumscribendam certis legibus ac finibus Pontificiam potestatem; sed tantum ad demonstrandum pascendi ac regendi potestatem plenam, quae praecedentibus verbis definitur, a Conciliis quoque generalibus, sacrisque Canonibus fuisse agnitam; & hic sensus hac voce, *etiam*, maxime comprehendatur; imo ea, vel ipsis fatentibus Adversariis, alium sensum prorsus excludat. Graecas etiam voces ad eumdem sensum, qui & illis, ut supra ostendimus, omnino nativus est, esse referendas, nulla ratione dubitandum est. Adeoque Graeci & Latini plenam potestatem nullisque limitibus circumscriptam ad regendam universalem Ecclesiam Romano Pontifici velut a Conciliis generalibus sacrisque eorum Canonibus agnitam, in Florentina Sy-

Synodo eisdem verbis & uno atque eodem spiritu asseruerunt.

CAPUT XII. &c.

„ An Constantiensibus Decretis &
„ Conciliari potestati noceat, quod
„ Ecclesiae pars maxima, ac prae-
„ sertim Galli Eugenio Basileae
„ damnato ac deposito obedirent?

QUamquam Meldensis Episcopus Basileensium Acta post translationem aperte defendere & propugnare non audet; attamen & eorum impietatem extenuare quantum potest, & elevare conatur, & omnes industriae suae nervos intendit, ut ex eis quidpiam eliciat, quod ad firmandam Constantiensium & priorum Basileensium Decretorum auctoritatem utcunque facere videatur. Quo enim alio pertinent haec praesentis Capitis verba? „ Jamque Vi-
„ ris maximis neque Eugenianae, ne-
„ que Basileensium partes plane pro-
„ babantur: Cardinalis Sancti Petri
„ viri sancti & gravissimi sententia
„ placebat, qui neque hos neque il-
„ los laudare solebat. *Et haec rur-*
„ *sum*: Hic iterum in studia scindi
„ Christiana Respublica; pars hunc
„ (*Eugenium*,) pars illum (*Fe-*
„ *licem*) colere, pars neutrum,
„ & exsecrare, quid copiosior ac
„ certior Synodus declararet: Hanc
„ sententiam Germani maxime seque-
„ bantur. Galli quum Basileensem
„ Synodum colerent, Florentinam
„ respuerent, Constantiensia omnia
„ confirmarent; simul Pontificem
„ Eugenium agnoscebant, depositio-
„ nem non admittebant, quod ma-
„ lorum Ecclesiae recordati, schis-
„ ma vererentur. Quo, inquam haec verba pertinent nisi ut nobis insinuetur, tam altas profundasque in hominum mentibus egisse radices Constantiensium Decretorum & priorum Basileensium auctoritatem, ut adhuc post translationem, & quum toties imminuta fuisset, Basileensi Synodo plerique adhaerendum existimarint, vel generatim & in omnibus ejus decretis; vel iis solum exceptis quae ad Eugenii exauctorationem, & Felicis electionem pertinerent: quum interim tota ferme Germania inter Eugenium & Synodum Florentinam, & Felicem ac Synodum Basileensem anceps haereret? Huc etiam spectant nobilissimarum Universitatum, Basileensibus & Felici propter Constantiensium Canonum auctoritatem obsequentium, testimonia, quae capite sequenti laudantur. Huc & impensum Capite XIV. eisdem Felici & Basileensibus studium ad eos a schismatis infamia vindicandos. Huc & locus Johannis de Paradiso Carthusiani de rebus Basileensibus Capite XV. descriptus. Huc denique commendata Cap. XVI. Christianissimi Regis sollicitudo, qua *Basileensium Patrum ad finem usque honori consuluerit*.

Quantum in ejusmodi Gestis ac testimoniis, pro tuenda adserendaque Constantiensium Decretorum auctoritate, ponderis ac momenti sit, haud segniter nobis excutiendum est. Nam prima fronte tantum abest, ut hinc pro illis Decretis elici posse argumenta credamus; ut in his potius judicio nostro perspicue cernere sit, quam perniciosa & infesta Ecclesiasticae paci & unitati sint Constan-

stantiensia Sessionis V. Decreta, nisi ad tempus schismatis & dubiorum Pontificum referantur. Ad hanc ergo thesim confirmandam, & in optimo lumine collocandam tota quae sequitur disputatio collimat. Sed ejus probatio ex pluribus veluti principiis pendet, atque informanda est: quae etsi certissima sunt, ac reapse veluti principiorum loco adsumi deberent, in iis tamen seorsim & singulatim confirmandis immorari libet, quod Adversarii rebus etiam clarissimis tenebras offundere, & firmissimas suis impetere argumentis audent. Ut uno autem velut intuitu mentem hac de re meam, ac totius disputationis oeconomiam Lector perspectam habeat; sciat illam sequentibus Propositionibus contineri, quae totidem Articulis argumenta suppeditabunt.

1. Eugenius IV. Synodum Basilea Ferrariam & Florentiam jure ac legitime transtulit.

2. Synodus Florentina non solum legitima, verum & Oecumenica fuit.

3. Synodus Basileensis post translationem illegitimum & schismaticum conventiculum.

4. Eugenii per Pseudo-Synodum Basileensem exauctoratio schismaticum & sacrilegum facinus.

5. Atque idem judicium de Felicis Pseudo-Pontificis electione ferendum est.

6. Quod Basileenses, quum pax inita est, neque ut schismatici habiti sunt, neque schismaticorum poenis affecti, mera Nicolai V. & Sedis Apostolicae indulgentia fuit.

7. Eorum, qui post translationem Basileensibus quocunque modo adhaeserunt, aut nec illis nec Eugenio obediendum existimarunt, nulla omnino ratio habenda est, omnemque illis auctoritatem merito abrogamus.

8. In Pseudo-Synodo Basileensi cernere apertissime est, quam perniciosa & infesta Ecclesiasticae paci & unitati sint Constantiensia Sessionis V. Decreta, nisi ad tempus schismatis & dubiorum Pontificum referantur.

ARTICULUS PRIMUS.

Eugenius IV. Synodum Basilea Ferrariam primum, deinde Florentiam, jure ac legitime transtulit.

PEnes Romanos Pontifices plenum jus esse ac potestatem transferendorum atque etiam dirimendorum generalium Conciliorum, saltem ubi legitima, gravis, & idonea caussa intervenerit, ne ipse quidem Illustrissimus Adversarius diffiteri audet: quinimo identidem monet, id sibi tantum non probari (a): „ A „ Papa dissolvi posse Concilia, nulla idonea causa, nulla necessitate, „ atque ut Eugenius ejusque adulatores (*quum Synodum primo dirimere aut transferre voluit*) ferebant, pro suae libitu voluntatis. „ *Ac rursum* (b): Ut ut is maxime dissolvere possit Synodum, non „ tamen pro libito, non indicta causa, non levi quacumque objecta „ difficultate, sed magna gravique, „ qua tota Ecclesia merito commoveri „ possit. *Et infra* (c): Ut Pontifex Concilia indicere, transferre, „ ac dissolvere valeat; *quum videlicet*

(a) Cap. XVII. (b) Ibid, (c) Cap. XVIII.

„ *licet justa idonea caussa interce-* „ *dit*; nec ad quaestionem nostram, „ nec ad ea quae tuemur Decreta „ Constantiensia pertinere, saepe „ ostendimus. Eamdemque senten- „ tiam cùm Nicolaus Cusanus Natali Alex. memoratus, tum Natalis ipse(*a*), & alii tuentur.

Plures autem ejusmodi dirimendae seu transferendae justas & legitimas caussas Johannes Turrecremata recenset (*b*): Primo quidem & maxime quum contingeret, quod ad eorum hominum impietatem Synodus esset devoluta, quorum studia privata in eversionem fidei, pacis, & unitatis agitarentur; sicut ait Leo Papa de secunda Synodo Ephesina. Secundo, quum Episcoporum, qui Patres & columnae dicuntur Ecclesiae, judicio contemto, inferiores multitudine seditiosa praevalente, Hierarchicum ordinem molirentur confundere. Tertio, quum Synodus in tyrannidem esset conversa. Quarto, quum aliqui in Concilio novis ausibus usurpare jura Apostolici principatus pertinaci animositate contenderent. Quinto, si Concilium faveret hostibus Romanae Ecclesiae ac Summi Pontificis. Sexto, quum Princeps terrae, in qua Synodum celebrari contingeret, suorum Clericorum multitudine fretus, adversus Romanum Pontificem vel Romanam Ecclesiam, vel alios Christiani orbis Praelatos quidquam moliri praesumeret. Septimo, quum Synodus in eorum esset potestate, qui vel ob principatus sui gloriam augendam, vel quodcunque aliud temporale commodum obtinendum, ultra debitum terminum producere ac prorogare Synodum niterentur. Octavo, quum studiose & ex industria id ageretur, ut tandem Romano Pontifice decedente, ad Synodum futuri Pontificis electio perveniret. Quin ejusmodi caussae dirimendae vel aliò transferendae Synodo aptae & idoneae sint, inscriptae cordibus hominum sensus communis notiones persuadere videntur; atque adeo nemo nisi ratione vacuus, ut idem Auctor subjungit, effutire ac docere audeat, Romanum Pontificem, universalis Ecclesiae Principem, Pastorem, & Custodem non posse, Patribus etiam invitis ac repugnantibus, Concilium solvere, aut aliò transferre. Plane, inquit, non nisi insanus contenderet, quod turba Luporum ovibus insidiante, integrum non sit Pastori, sine eorum consensu Lupis illis occurrere, eosque in fugam convertere, & eorum dirimere societatem.

His concinens Nicolaus Cusanus in epistola ad Rodericum Archidiaconum de Trevino, adhuc etiam disertius addit, nullius generalis Concilii Canone vel decreto eripi posse hanc Romano Pontifici potestatem, ut Ecclesiae periclitanti subveniat, & pro variis locorum ac temporum circumstantiis, fidei religionisque negotia propagationemque promoveat: *Sacri namque Principis Ecclesiae manus ad aedificationem extensas, nulla observantia aut regula Patrum, etiam in Conciliis, impediri, inhiberique posse.... Nam sicut non est potestas Pontificis ad destructionem bene acto-* *rum*

(*a*) Differt. X. in Hist. Eccl. Saec. XV. & XVI. art. I.
(*b*) Lib. III. de Eccles. cap LXVII.

rum per Patres: ita non est potestas sub caelo, quae ejus possit auctoritatem minuere, quominus errantes ad ovile reducat. Quibus & gemina sunt, quae Julianus Cardinalis S. Angeli Synodi Basileensis Praeses Oratoribus Eugenii totius Concilii nomine respondit: *Per Concilium statuta in nullo derogant suae potestati, quin pro tempore, loco, caussisque, & personis, utilitate vel necessitate suadente, moderari dispensareque possit, atque uti summi Principis ἐπιεικείᾳ, quae ab eo auferri nequit.* Quapropter neque ipsum Basileense Concilium translationem simpliciter prohibuisse, Nat. Alex. observat, sed quae sine justis caussis & manifestis fieret, ut constat, inquit, ex Sessione XIX. in qua Synodus Patres *obsecrat, ne dissolutioni consensum praestent, nec loci mutationem fieri permittant, nisi ex justis causis & manifestis.*

Quam justae autem essent ac manifestae transferendae Synodi Basileensis rationes, quam evidens illarum aequitas, liquet, inquit mox laudatus Auctor, ex Eugenii IV. Diplomate, quod incipit, *Doctoris Gentium*, quo illas in totius orbis Christiani luce collocavit. Et ex Actis liquido constat, eas fere omnes intercessisse, quae supra ex Turrecremata descriptae sunt: in quibus certe colligendis haec ipsa Basileensis Synodi Acta prae oculis habuisse videtur, quin & diserte testatur; statim subjungens, dirimendarum Synodorum caussas, quas enarraverat, ad arbitrium non fuisse confictas, *tam ex antiquorum quorumdam Conciliorum practica, quam ex pravis Basileensium studiis*, esse perspectum. Et alia quidem dissimulari utcunque ab Eugenio potuissent: illud vero nullo modo, quod paucorum pervicacia, obstinatione, & privatis studiis, revocandis ad unitatem fidei & Ecclesiasticae communionis innumeris gentibus, insuperabile objiceretur impedimentum. Graeci enim jam inde a multo tempore nefario schismate conflato, ut in unam cum Latinis Ecclesiam coalescerent, Synodum celebrari poscebant, cui Romanus Pontifex praesideret, (Eugenius IV. Diplomate, *Doctoris Gentium*, & Diplomate, *Salvatoris*, nec non Silvester Syropulus in *Historia vera Unionis non verae* Segm. 2. cap. 23. & 35.) Eugenius autem, auctore Augustino Patricio in Hist. Conc. Basileens. cap. XLII. *Propter adversam valetudinem, propter res novas, & periculum Provinciarum Ecclesiae, Italia excedere* minime poterat. Itaque unio tanta, tamque diu optata, nisi in locum alium revocata fuisset, exitum habere non poterat. Ergone aequo animo tulisset optimus Pater hanc sibi eripi occasionem tot segreges filios ad dulcis Parentis sinum revocandi? Tulissetne Latinae Ecclesiae a Graecis indignum facinus exprobrari: quod quum eorum Imperator ac totus Oriens Patriam ultro relinquerent, Latinorum Synodus iis excipiendis, ne in vicinam quidem Italiam movere se vellet, Avenionem anteferret procul a Graecis dissitam, cujus nulla mentio in pactis facta esset? Haec enim, ut ipse Bossuetius agnoscit, Graecorum Legati querebantur, ac palam Basileae sollenni edita contestatione declararant, non adventuros Graecos, & eorum Im-

Imperatorem & Patriarcham, nisi in Italiam, totamque schismatis culpam in Latinos Latinamque Ecclesiam conferebant. Tantamne ergo optimus Pontifex sponsae suae adspergi maculam passurus unquam fuisset? Quum ergo transferendae in Italiam Synodi tam gravis esset caussa, ut gravior occurrere & excogitari non possit; quis neget Eugenium Ferrariam primum, deinde Florentiam juste ac legitime Synodum transtulisse? Neque porro deerant aliae rationes, quae supra ex Turrecremata recensitae sunt, ut ex dicendis Lector facile perspectum & exploratum habebit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Synodus Florentina non solum legitima, verum & Oecumenica fuit.

SYnodum Florentinam jure ac legitime fuisse coactam, paucis sed solide mea quidem sententia exsequutus sum articulo superiore; sequitur ut doceam audiendos illos non esse, qui numero Oecumenicarum habendam esse inficiantur. Quoniam vero & in hac Thesi propugnanda consentientes habeo Galliae Theologos, quorum aliqui illam data opera, & specialibus dissertationibus illustrarunt, ac praesertim Nat. Alex. qui in omnium manibus est; ideo paucis & hic me expediam, satisque habebo, ut hanc ipsam Gallorum Theologorum nobiscum consensionem breviter iis edisseram, qui ex nostratibus paullo incuriosiores sunt, & in harumce rerum ignoratione versantur. Probationes autem ex supplici Libello depromam, quem Facultas Theologica Parisiensis anno 1738. Regi obtulit adversus Decretum Parlamenti, (*l' Arrest du Parlement*) quo aliquot Theses confixae fuerant, quibus Florentina Synodus inter Oecumenicas recenseri videbatur.

Contendit autem Facultas, in dubium revocari non posse, (a) quin memorata Synodus in numero generalium Conciliorum jam inde etiam in Galliis habeatur. Id enim sequentia documenta clare luculenterque demonstrare.

1. Clerus Gallicanus an. 1655. & 1656. Florentinam Synodum, perinde ac Lateranensem IV. & Tridentinam, fundamentum esse voluit Censurae, quam in sollennibus harumce annorum comitiis adornavit.

2. In omnibus Conciliorum editionibus cum vetustioribus, tum recentioribus, & in ipsa etiam Luparensi an. 1644. Regio jussu, & ipso quoque spectante Parlamento adornata, Concilium Florentinum inter Oecumenica recensetur. Quod si aliqua de hac re difficultas excitata est ob postremam editionem an. 1715. Luparaeis typis confectam, eam Regia Majestas neglexit in Decreto, quo illam editionem in publicam prodire lucem permisit. Nam inter conditiones, quas Decretum exigebat, nulla titulum sollicitabat, quo perinde atque in omnibus Conciliorum praecedentibus collectionibus, Florentina Synodus exornabatur.

3. In variis Theologicorum Operum

(a) *Il n'estoit pas douteux, que le Concile de Florence ne foit mis depuis longtemps au nombre de Conciles generaux.*

rum editionibus, quae quinquaginta ab hinc annis Regio etiam Privilegio munitae prodierunt, & quas Parlamentum ignorare non potuit, & in iis etiam, quae Auctores habent, de quibus Libertatum Ecclesiae Gallicanae Defensoribus nulla potest esse suspicio; & quos certum est ab iis opinionibus quam longissime abfuisse, quae Regni placitis adversentur; in iis, inquam, Operibus, non modo Florentina Synodus velut oecumenica celebratur, verum & hic ei titulus specialibus dissertationibus, & magno rationum pondere vindicatur.

4. D. Bossuetius Episcopus Meldensis, cujus testimonium majoris etiam momenti est, & quem Parlamentum ipsum fatetur, debitam Sedi Apostolicae fidelitatem cum amore ac defensione Gallicanarum libertatum miro foedere conjunxisse, Concilium Florentinum velut Oecumenicum celebravit in eo ipso Opere, quod tam circumspecte & accurate pro defensione Gallicanae declarationis elaboravit.

Denique hanc esse omnium Academiarum Regni sententiam, & quod praecipue ad Parisiensem pertinet, recensitis omnibus Thesibus, quae ab anno 1650. ad annum usque 1700. in Theologica Facultate publice expositae ac propugnatae sunt, constitisse, nullam earum, quae generalium Conciliorum catalogum exhibet, ab eo censu Florentinum eximere; imo nullam omnino repertam esse, quae non illud nominatim eo numero comprehendat. Hinc ulli censurae obnoxium esse non posse Theologiae Baccalaureum, qui ejusmodi testium auctoritate fretus, & eorum vestigiis insidens, Florentinam Synodum eodem titulo exornet. His autem permota rationibus Regia Majestas eodem anno 1738. XVII. Kal. Aprilis Decretum tulit, quo illud Parlamenti, de quo Facultas conquerebatur, abrogatum est, eidemque Theologicae Facultati restituta libertas est, ut Florentinum Concilium Oecumenici titulo in suis Thesibus insigniret.

Quum igitur de hac re Parisiensibus Theologis Gallicanisque Patribus nobiscum conveniat; palam est, illos audiendos non esse, si qui sint e Foro, qui e generalium Conciliorum censu Florentinum Concilium expunctum vellent. Horum enim non est, ut in eodem Libello Sacra Facultas observat, de id genus quaestionibus judicare: quos sibi merito Ecclesia vindicat, ad quam solam pertinet cum auctoritate decernere, ex quibus fontibus fidei dogmata haurienda sint; quove obsequio excipienda sint decreta, quae in harumce rerum declaratione versentur.

ARTICULUS TERTIUS.

Synodus Basileensis post translationem illegitimum & schismaticum conventiculum fuit.

Haec propositio ex duabus praecedentibus sponte fluit. Quum enim non sit nisi unica Ecclesia, similiter esse non potest nisi unicum universale Concilium, quod eam vere ac legitime repraesentet: At ejusmodi Concilium, quod jure sibi ac legitime Oecumenici titulum adserebat, vereque universalem repraesentabat Ecclesiam, post translationem,

pri-

primùm Ferrariae, deinde Florentiae celebrabatur: Ergo quod eodem tempore Basileae habebatur, illegitimum erat & schismaticum Conventiculum.

Eodem argumento freta & ipsa Synodus Basileensis quemcumque alium coetum, qui, quum ipsa vigeret, sub generalis Concilii nomine cogeretur, velut schismaticorum conventiculum Sessione VIII. in antecessum damnaverat: *Sicut unica est Ecclesia Sancta Catholica, Christo ipsius sponso dicente*: Una est columba mea, dilecta mea, *& fidei articulo hoc profitente; quum unitas divisionem non capiat: sic esse non potest nisi unicum generale Concilium, ipsam Sanctam Ecclesiam Catholicam repraesentans. Quum ergo in hac Civitate Basileensi ..... generale Concilium institutum & stabilitum sit, & in Spiritu Sancto legitime congregatum; isto durante Concilio, constat aliud generale Concilium alibi esse non posse. Quicunque igitur, hoc sacro durante Concilio, aliam congregationem sub nomine generalis Concilii erigere aut facere praesumserit, non Catholicae Ecclesiae Concilium, sed schismaticorum conventiculum erigere aut facere convincitur*. Quae ratio optima est, & in quamcunque generalem Synodum quadrat, quoad illa legitime perseverat. Sed ut legitime perseveret, satis non est, ut praecedentis Oecumenicae Synodi, aut Romani Pontificis decreto coacta & constituta sit; sed praeterea requiritur, ut eodem auctore Pontifice continuetur. Nam si ab eo jure ac legitime revocetur, & aliò transferatur, legitimum Concilium ibi esse desinit, ubi primùm coactum fuerat, & esse incipit quò a Romano Pontifice translatum est: quod proinde unicum deinceps est Ecclesiae Catholicae Concilium, praeter quod quicumque alius coetus schismaticorum conventiculum est.

Profecto, si ad legitimam Synodum constituendam satis est, eam a Romano Pontifice congregari: semel autem congregatae adest Spiritus Sanctus, qui eam per se & ἀμέσως regat, foveat, gubernet, auctoritatem & vigorem ei conferat, eamque in unitate conservet, ne a quoquam transferri, dissolvi, aut everti possit; nulla ratio erit, cur non & Ephesinum Latrocinium in Conciliorum numerum recipiamus. Nam & Ephesi Concilium Leo Magnus Romanus Pontifex congregaverat, & suos illo Legatos direxerat, & eò plurimi ex toto Oriente Episcopi convenerant. Quibus rebus Basileensi Latrocinio Ephesinum illud antecellebat, ut Eugenio scribens Ambrosius Camaldulensis observat: qui & S. Leonis exemplo illum urget, ut Basileensem Synagogam conterat, quemadmodum ille olim Ephesinam everterat: *Excrendae omnes ingenii vires, tota expedienda est auctoritas, ne premamur aut opprimamur imprudentes. Cogenda videtur a Domino nostro legitima Synodus Sacerdotum, exemplo Leonis Papae, qui contra secundam Ephesinam Synodum, & quidem constantem ex Sacerdotibus plurimis, non ex vulgari multitudine, neque nisi Apostolica auctoritate conflatam, atque ab se primùm probatam, aliud Romae Concilium collegit, in quo Gesta illius irritavit: quia in perniciem Ecclesiasticae disciplinae &*

& fidei Catholicae everſionem emanarant. Neque dixeris, Dioſcori tyrannide, qui praeter fas Epheſi praeerat, ereptam fuiſſe Patribus libertatem: nam nec meliore jure Pſeudo-Cardinalis Arelatenſis Baſileenſibus praeerat, nec minore vi ac furore tyrannidem inter eos exercebat; ut vel a ſuis ſymmyſtis velut alter Catilina, a noſtris autem velut alter Dioſcorus haberetur: eoque duce, & ad omne ſcelus inconditam multitudinem inflammante, Baſileenſis conventus, ut idem Ambroſius ſubjungit, non ſecus atque ille Epheſinus, in apertum Latrocinium evaſit: *An vero Epheſina Synodus eſt quam iſta nocentior? Quis hoc ſapiat niſi plane deſipiat?*

Merito proinde Carolum VII. Francorum Regem Eugenius monuit, ne perfidorum hominum ſynagogam, & ſcelerum colluviem Concilii nomine cohoneſtaret. Qui enim unicum eſſe fatetur Eccleſiae caput & principem, is nunquam disjunctorum ab eo membrorum conſpirationem Synodi aut Concilii nomine decorabit: *Quos* (Baſileenſes) *a te Concilii verbo appellari, vide ne nimis alienum ſit a tam Catholici Principis gravitate. Quomodo enim potes, quum veriſſime teneas & rectiſſime profitearis, nos eſſe verum Vicarium Jeſu Chriſti, atque unicum Eccleſiae ſuae ſponſum, conventiculam illam Concilium nominare? An ſcelerum omnium & ſcandalorum ſentina reproba, & ſententiis Apoſtolicis damnata, nomen Synodi meretur? Ille potius malignantium conventus eſt, ac Phariſaeorum Chriſtum tradentium perfida ſynagoga &c.* Et infra: *Hos tua ſerenitas ſeditioſos, damnatos, a Dei Eccleſia praeciſos, & tanquam mundi purgamenta rejectos, nequaquam amplius Concilium nominet: quum nullum Concilium legitimum unquam fuerit, neque etiam eſſe poſſit, niſi Sedis Apoſtolicae auctoritate ſuffultum*.

ARTICULUS QUARTUS.

Eugenii IV. per Pſeudo-Synodum Baſileenſem exauctoratio, tanquam ſchiſmaticum & ſacrilegum facinus habenda eſt.

Quamquam graviſſimorum ſcelerum reus olim erat Dioſcorus Alex. Epiſcopus, omnium tamen teterrimum Chalcedonenſibus Patribus viſum eſt, quod anathema in S. Leonem intorquere veritus non eſt, & haec ipſius damnationis ac dejectionis potiſſima cauſſa fuit. Ita enim Synodus in Relatione ad Leonem ipſum: *Qui multa prius peſſime operatus, priora ſequentibus ſuperavit*. Tum depoſitos ab eo Flavianum & Euſebium, reſtitutum Eutychetem commemorant. *Et poſt haec omnia, inſuper & contra ipſum, cui vineae cuſtodia a Salvatore commiſſa eſt, extendit inſaniam: id eſt contra tuam quoque Apoſtolicam Sanctitatem: & excommunicationem meditatus eſt contra te, qui corpus Eccleſiae unire feſtinas*. Non de injuſta, ut recte Cl. Thomaſſinus (a) monet, ſed de

(a) Diſſert. XII. in Conc. Chalcedon. num. XXXV. Idem obſervat & Nicolaus I. ep. VIII. ad Michaelem Imperatorem.

sed de qualicunque excommunicatione in primae Sedis Antistitem lata conqueritur Synodus, nempe contra Apostolicam & primam Sedem, contra eum, cui jure divino vineae totius, seu Ecclesiae universae principatus competit, qui adeo pro capitis officio membra totius corporis lacera sibi recolligere laborabat. Ideo hoc ejus facinore cetera obduci & obliterari ait Synodus. Et in Epistola ad Marcianum Imperatorem post Act. 3. depositionis jaculo confixum testatur Dioscorum, quod Leonis epistolam in Ephesina Synodo secunda legi renuisset; quod Eutychetem a Leone damnatum restituisset; tertio denique *quoniam super alias suas nequitias, & adversus ipsam Sedem Apostolicam latravit, & excommunicationis litteras adversus Sanctissimum & Beatissimum Papam Leonem facere conatus est*. Et Act. 3. in ipsa adversus Dioscorum sententia: *Quoniam secundis excessibus priorem iniquitatem valde transcendit: praesumpsit enim & excommunicationem dictare adversus sanctissimum & beatissimum Archiepiscopum magnae Romae Leonem*. Et ibidem ex Libello Theodori Diaconi: *Nihil arbitrans quod ab ipso in sanctae & sacrae memoriae Flavianum commissum est, insuper ad mala majora se vertit: Excommunicationem namque faciens contra sanctissimum & beatissimum Apostolicae sedis magnae Romae Episcopum Leonem, suasit subscribere eis, qui cum ipso de Aegypto exierunt, sanctissimis Episcopis plus minus numero decem....... aliquoties comminans aliquoties decipiens &c.* Anatolius denique (cujus hac de re sententiam probat & laudat Nicolaus Primus epistola octava ad Michaëlem Imperatorem) ejusdem Synodi Chalcedonensis Actione quinta testis locupletissimus est: *Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit Domino Archiepiscopo Leoni*. Ergo haec summa flagitii fuit, constitutum divino jure Caput Ecclesiae impetere, & ideo Ecclesiam ipsam obtruncare voluisse. Quod Patribus gravius & immanius flagitium visum est, quam S. Flaviani iniquissima depositio, & immanissima caedes, quam Eutychetis restitutio, quam Eutychianae perfidiae approbatio, quam Synodi Ephesinae grassatio & tyrannis, quam fidei Catholicae, quantum in ipso fuit, constupratio.

Quorsum haec nobis commemorata sunt? Nimirum ut hinc Lector intelligat, quam gravi se & inexpiabili scelere obstrinxerit ille Pseudo-Cardinalis Arelatensis, quum velut alter Dioscorus seditionis facem praeferens, consentientibus sibi ad omne flagitium *Episcopis plus minus numero decem*, damnationis & ejectionis sententiam in Eugenium IV. conscribere ausus est, & Ecclesiam Catholicam nefario schismate lacerare, & ab eo divellere; quum ille non secus atque olim Magnus Leo ejusdem *corpus Ecclesiae unire festinabat*, & Graecos, Armenos, Syros, Aegyptios, Aethiopes, pluribus jam saeculis a vera Ecclesia disjunctos, velut membra corporis sui lacera, caelo votis ejus obsecundante, felici jam exitu & prospero conatu sibi recolligere satagebat.

Nec est profecto, quod ad elevandam immanissimi sceleris atrocitatem Ad-

Adversarii objiciant Synodi Oecumenicae auctoritatem. Nam primo, ejusdem Cardinalis Arelatensis dolo, fraude, perfidia, malisque artibus effectum est, ut a paucis Episcopis, & ab incondita minorum Clericorum, imo & Laicorum turba, tanquam fidei veritas sanciretur, subditam & obnoxiam esse Oecumenicis Synodis Romanorum Pontificum potestatem: deinde qua fronte idem Arelatensis *& Episcopi plus minus numero decem*, contradicentibus omnium fere Catholicarum Nationum ac Principum Oratoribus, Concilium Oecumenicum facere praesumebant? Id certe non elevat, sed exaggerat supra illam Dioscori, Arelatensis & Symmystarum culpam, eosque communi odio, invidiae, & indignationi objicit: quum inauditae & intolerabilis impudentiae sit, quod decem Episcopi se universalem Ecclesiam repraesentare mentiantur, quod in se totam ejus auctoritatem translatam esse definiant, quod ipsi invitae ac reluctanti caput obtruncare moliantur, quod leges dispersis per universum orbem Episcopis dictare non erubescant. Praeterea in multitudine Episcoporum Capiti suo adhaerentium inesse Ecclesiam, & cum Ecclesia individuo nexu conjunctam, de rebus ad fidem ejusque regimen pertinentibus decernendi, summam & ineluctabilem auctoritatem, plerique ex nostris Adversariis fatentur, & adversus Refractarios ac rerum novarum cupidos validissimis argumentis propugnant. Quis ergo nisi eadem, qua illi decem Episcopi, vesania, & schismatico furore ac vertigine actus, in tam paucis ab Eugenio damnatis reponat agnoscatque Ecclesiae Catholicae potestatem; & non potius in multitudine Occidentalium & Orientalium Episcoporum, qui Eugenio velut unico & legitimo Christianae Reipublicae capiti adhaerebant? Denique etsi Basileensium conventus, spectato Episcoporum numero, Oecumenicus haberi posset; attamen quum Acta in Eugenium falsis criminationibus innitantur, omniaque in eum ab insanientibus & vesano furore percitis ac fanaticis gesta sint, eodem loco habendus esset, atque Ariminense, Ephesinum, & Iconomachorum sub Constantino Copronymo Latrocinium: Quae sane Episcoporum coitiones Basileensem numero superabant, ut haec illis audaciae, temeritatis, & impudentiae palmam praeripuisse videtur. Quae Lector ut sibi facile persuadeat, non Augustinum Patritium Eugenianarum partium Scriptorem adiri ab eo volumus, sed Aeneam Silvium, qui tum adversus Eugenium Basileensibus adhaerebat, & rerum ab eis inique gestarum historiam litteris consignavit: quam semel percurrisse sufficit, ut quisque a studio partium alienus Basileensium conventum non utique pro generali Concilio habeat, quod regeret Spiritus Sanctus, Spiritus unitatis & pacis, sed ut Satanae synagogam detestetur, quam spiritus ille nequam in omne scelus inflammaret.

ARTICULUS QUINTUS.

De Felicis V. in Eugenii locum subrogatione, idem ac de ipsius Eugenii ejectione, ferendum judicium est.

DEjecto, quantum in ipsis erat, Eugenio, ad consummandum ini-

iniquitatis negotium, de Pseudo-Pontifice in ejus locum subrogando, actum a Basileensibus est: de quo nihil nobis ultra dicendum esset, nisi & in Idoli hujus erectione longe luculentius schismaticus eorum furor & insania demonstraretur. Quum enim Eugenium deposuerunt, spes illis aliqua esse poterat, probaturum forsitan orbem terrarum, aut maximam ejus partem eorum judicium. Sed quum universa Ecclesia constanter in Eugenii fide perseveraret, omnesque Principes ac Nationes sacrilegum eorum facinus detestarentur: quis rogo furor ulterius procedere ad alterum Ecclesiae reluctanti Caput imponendum? Id certe a schismatis piaculo excusari nulla ratione potest. Vera enim Ecclesia & Catholica, & una est: Catholica autem dicitur, quoniam per omnes Nationes diffusa est. Una vero, quoniam sub uno Capite continetur. Ille ergo schismaticus est, qui aliud sibi caput constituit, praeter illud, quod universa per orbem Ecclesia veneratur & colit, & in qua diffusae dispersaeque per omnes Gentes Ecclesiae, velut in centro unitatis & communionis invicem conjunguntur. Hoc argumento Sanctus Cyprianus Novatianos, hoc Sancti Optatus Milevitanus & Augustinus Donatistas schismatis arguerunt. Quum enim, inquit laudatus Optatus sub initium libri secundi de schismate Donatistarum, sit una Ecclesia, & apud omnes haereticos & schismaticos esse non possit, restat ut uno loco sit. Ergo vel apud Donatistas, vel apud Catholicos: sed apud Donatistas esse non potest, quoniam ibi tantum esset, ubi Donatistae sunt; & ubi Donatistae non sunt, illa non esset. Sunt autem Donatistae solum in angulo Africae, in aliis vero innumeris Occidentis & Orientis Provinciis Regnisque non sunt; in quibus tamen esse oportet Ecclesiam, quae vere Catholica, & Christi haereditas sit: *Ergo ut in particula Africae, in angulo parvae regionis, apud vos esse possit: apud nos in alia parte Africae non erit? In Hispaniis, in Gallia, in Italia, ubi vos non estis, non erit? Si apud vos tantummodo esse vultis, in tribus Pannoniis, in Dacia, Moesia, Thracia, Achaia, Macedonia, & in tota Graecia, ubi vos non estis, non erit? Ut apud vos esse possit, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Pamphilia, Phrygia, Cilicia, & in tribus Syriis, & in duabus Armeniis, & in tota Aegypto, & in Mesopotamia, ubi vos non estis, non erit? Et per tot innumerabiles insulas, & ceteras Provincias, quae numerari vix possunt, ubi vos non estis, non erit? Ubi ergo erit proprietas Catholici nominis, quum inde dicta sit Catholica, quod sit rationabilis & ubique diffusa?* Annon haec optime quadrant & in paucos illos Basileenses, qui novum sibi caput constituentes, aliam ab ea, quae per totum terrarum orbem diffundebatur, in illo Germaniae angulo Ecclesiam condiderunt? Ergo ut in particula Germaniae, in angulo parvae regionis apud vos esse possit; in alia Germaniae parte non erit? In Hispaniis, in Gallia, in Anglia, in Italia, ubi vos non estis, non erit? Si apud vos tantummodo esse vultis, in Hungaria, Polonia, Britannia, ubi vos non estis, non erit? Ut apud vos esse possit, in tota Graecia, in magna Russia, in Iberia, in duabus Arme-

niis,

niis, in Syria, in Aegypto, & in Aethiopia, nuper Eugenio & Ecclesiae Romanae reconciliatis, ubi vos non estis, non erit? Si autem propter unum aut alterum Siculum, & Hispanum, & Germanum, aut propter aliquot Insubres & Sabaudos, Basileenses sibi de variarum gentium communione gratulentur, & ad Catholici nominis decus adspirare se posse confidant: occurret illis S. Augustinus, qui in suis omnibus adversus eosdem Donatistas libris hanc velut certissimam discernendi Ecclesiam Catholicam ab haereticorum & schismaticorum conventiculis notam seu regulam tradit, quod ubicumque ii sunt, & illa est: sed non contra ubicumque illa est, & ii reperiuntur. Sic lib. IV. cont. Crescon. cap. LX. *Ecclesia Catholica, quae, sicut ait Cyprianus* (a), ramos suos per universam terram copia ubertatis extendit, *etiam in eas terras extenditur, ubi jacent illa quaeque in sua regione fragmenta: illa vero singula, quacumque ipsa distenditur, non sunt; quamvis aliquando vix rarissima folia ex eorum ariditate ventus elationis in peregrina dispergat*. Et infra cap. LXI. *Veruntamen ubicunque sunt isti*, (haeretici vel schismatici) *illic Catholica, sicut in Africa, ubi & vos, non autem ubicunque Catholica est, aut vos estis, aut haeresis quaelibet illorum. Unde apparet, quae sit arbor ramos suos per universam terram copia ubertatis extendens, & qui sint rami fracti non habentes vitam radicis, atque in suis quique jacentes & arescentes locis*. Hac nota seu regula dijudicari ac discerni facile potest, ubinam esset per ea tempora, de quibus agimus, Catholica Ecclesia, & ubi schismatica separatio. Ubicumque erant, qui Pseudo-Pontificem venerabantur, sicut in Italia, Gallia, Germania, Hispania, Sicilia; ibi & illi erant, qui Eugenio constanter adhaerebant: non autem ubicunque illi erant, qui Eugenium velut legitimum Pastorem ac Pontificem agnoscebant; velut in tot Italiae Provinciis, in tot Hispaniarum, Galliarum, & Angliae Regnis, in duplici Graecorum Imperio, Constantinopolitano & Trapezuntio, in Armenia, Russia, Iberia, Syria, Aegypto, Aethiopia; & illi erant qui Pseudo-Felici tanquam Pontifici obsequebantur. Unde apparet, ut ejusdem Augustini verbis utamur, eos a nobis exisse, non nos ab ipsis: quia nos etiam in his terris eramus, ubi ipsi erant: illi autem quaquaversus nos eramus, non nisi forte peregrinantes inveniebantur. Sed ad Optatum redeamus.

Ergo, inquit, *probavimus eam esse Ecclesiam Catholicam, quae est in toto terrarum orbe diffusa: ejus jam commemoranda sunt ornamenta, & videndum, ubi sint quinque dotes..... inter quas Cathedra est prima..... Videndum est ergo, quis, & ubi, prior Cathedram sederit*. Subjungitque, nec ipsos Donatistas latere, aut ab eis negari posse: *Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam..... in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur*. Adtexitque seriem Ro-

 mano-

(a) Lib. de Unit. Ecclesiae.

manorum Pontificum a Petro usque ad Siricium; *hodie*, inquit, *qui noster est socius: cum quo nobiscum totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat*. Haud secus & ii, qui Eugenio adhaerebant, Romanorum Pontificum Successionem a Petro & Siricio ad ipsum usque Eugenium perducentes, per eum cum toto terrarum orbe in una communionis societate conjungebantur. In hoc enim velut in centro Ecclesiasticae communionis & unitatis omnes, ut jam ostendimus, Gentes firmiter & inconcusse persistebant, quum pauci primi & secundi ordinis Sacerdotes, Synodi Oecumenicae auctoritatem temere usurpantes, aliud sibi caput constituerunt: de quo merito cum eodem Optato quaerere possumus, ubi sederit, & cui successerit: non enim utique in Petri Cathedra, quam neque oculis novit, & in qua sedentem Eugenium universae gentes colebant; neque ipsi Eugenio, & per eum Petro successit, qui antequam ille decederet, Apostolatum ejus invasit: Profecto huc optime facit locus ille S. Cypriani de Cornelio & Novatiano in Epistola ad Antonianum: *Factus est autem Cornelius Episcopus ..... quum Fabiani locus, id est, quum locus Petri & gradus Cathedrae Sacerdotalis vacaret: quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato, quisquis jam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat Ecclesiasticam ordinationem qui Ecclesiae non tenet unitatem. Quisquis ille fuerit, multum de se licet jactans, & sibi plurimum vindicans, profanus est, alienus est, foris est. Et quum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debeat, factus est, non jam secundus ille, sed nullus est*. Quae omnia quam bene in Eugenium & Pseudo-Felicem transferri & aptari possint, nobis etiam tacentibus, Lector intelligit. Factus est enim & Eugenius Episcopus, quum locus Martini V. id est, quum locus Petri & Cathedrae Sacerdotalis vacaret. Quo proinde occupato, & omnium, ut jam vidimus, gentium consensione firmato, quisquis Episcopus fieri voluit, tanquam profanus & alienus, imo & nullus habendus est, quum post primum secundus esse non possit. In quem etiam & illa optime quadrant ejusdem S. Cypriani in Epistola ad Magnum: *Ecclesia enim una est, quae una & intus esse & foris non potest. Si enim apud Novatianum* (apud Felicem) *est, apud Cornelium* (apud Eugenium) *non fuit. Si vero apud Cornelium* (apud Eugenium) *fuit, qui Fabiano* (qui Martino V.) *Episcopo legitima ordinatione successit..... Novatianus* (Felix) *in Ecclesia ordinatus non est, nec Episcopus computari potest, qui, Evangelica & Apostolica traditione contemta, nemini succedens a se ipso ortus est*.

ARTICULUS SEXTUS.

Quod Basileenses, quum pax inita est, neque ut schismatici habiti, neque schismaticorum poenis affecti sunt, mera Nicolai V. & Sedis Apostolicae indulgentia fuit.

A Schismatis proprie dicti labe purgandos esse Basileenses, etiam postquam Eugenium IV. in jus vocaverunt & deposuerunt, ac Felicem V.

V. elegerunt, Bossuetius aliique Parisienses Theologi contendunt, iis ferme ducti fretique rationibus, quas Differt. VIII. in Hist. Ecclesiast. saec. XV. & XVI. Nat. Alex. congessit. Quarum fundamentum est, eos proprie schismaticos esse, qui propria sponte & intentione se ab Ecclesiae unitate, vel ab Ecclesia matrice fidei, & omnium Christianorum Matre, & Ecclesiasticae communionis centro, fonte & radice disjungunt: At Synodus Basileensis, inquit laudatus Auctor, propria sponte & intentione se ab Ecclesiae unitate non separavit; sed Ecclesiae matrici fidei, & omnium Christianorum Matri semper adhaesit, & Sedi Apostolicae, Romanae Ecclesiae, ceterisque Christiani & Catholici orbis Ecclesiis, communione conjunctissima fuit: quamvis ab Eugenii IV. obedientia secesserit, eumque exauctorarit, ac Felicem in ejus locum subrogarit, ob rationes quas legitimas & canonicas esse existimabat: Ergo quamvis nec Eugenii justa exauctoratio, nec Felicis canonica fuerit electio; dubio tamen jure Basileenses Patres, Felicem V. & eorum Obedientias, bona fides a schismatis labe purgavit; maxime cùm ipsi jus a partibus stare suis persuasum haberent.

Verumenimverout quis schismatis labem ac reatum contrahat, haud opus est, ut se ex animo & ex certa conceptaque sententia & voluntate ab Ecclesiae separet communione, vel ejusdem Ecclesiae laceret ac praecidat unitatem: satis enim est ut id opere ipso perficiat. Quemadmodum ut quis velut homicida puniatur, nemo quaerit an gladium in hominis viscera adegerit ea mente ac voluntate ut ei vitam adimeret: satis est enim ut sciens prudensque id egerit, unde mors ejus certissime sequutura erat. Quicunque ergo Romanum Pontificem in Petri Cathedra legitima ordinatione constitutum, & in cujus communione permaneat orbis terrarum, abjicit & contemnit, seseque ab ejus communione disjungit, ut alium sibi Pontificem caputque constituat, quacumque mente & voluntate id faciat, is opere ipso se se ab Ecclesiae Catholicae communione divellit, ejusque scindit ac lacerat unitatem. Perinde enim est, ex S. Cypriani sententia, alium Episcopum & aliam Ecclesiam constituere, ejusve corpus laniare, & Christi membra discerpere: *Gravat enim me atque contristat.... quum vos illic comperissem, contra Ecclesiasticam dispositionem, contra Evangelicam legem, contra institutionis Catholicae unitatem, alium Episcopum fieri consensisse, id est, quod nec fas est nec licet fieri, Ecclesiam aliam constitui, Christi membra discerpi, Dominici gregis animum & corpus unum discissa aemulatione lacerari*. Haec S. Martyr epist. XLIV. ad aliquot Romanos Confessores, qui se a Cornelio disjunxerant, & in Novatiani ordinationem consenserant. Et hi quidem, ut ex sequente ejusdem Cornelii ad ipsum Cyprianum epistola habemus, haud se se ea mente a Cornelio sejunxerant, & ad Novatiani partes contulerant, ut Ecclesiae Catholicae scinderent unitatem, sed a schismaticis circumventi, eadem atque Basileenses *bona fide*, Novatiani potius quam Cornelii legitimam & canonicam ordinationem exi-

existimarant. Haec enim S. Cornelius eorum verba, ad suam communionem & Ecclesiae castra postliminio revertentium, in ea epistola exhibet: *Imposturam passi sumus: circumventi sumus perfidiae loquacitate captiosa. Nam etsi videbamur quasi quamdam communicationem cum schismatico & haeretico homine habuisse, sincera tamen mens nostra semper in Ecclesia fuit. Nec enim ignoramus, unum Deum esse, & unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum Sanctum, unum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere*: Nec tamen sincera illa eorum mens, qua se in Ecclesia semper fuisse jactabant, & unum Episcopum in Ecclesia esse debere cognoverant, illos apud Cyprianum a schismatis & haeresis labe purgavit; ut constat ex sequentibus S. Martyris verbis epistola XLVII. ad S. Cornelium, qua illi de eorumdem Confessorum reditu gratulatur: gaudetque illos *ad Ecclesiam Catholicam regressos esse, id est, errore deposito, & schismatico imo haeretico furore deserto unitatis ac veritatis domicilium fideli sanitate repetiisse*. Et epist.LI. gratulatoria ad eosdem Confessores: *Simpliciter enim quid in meo corde fuerit debetis audire. Dolebam vehementer & graviter angebar, quod eis communicare non possem, quos semel diligere coepissem. Posteaquam vos de carcere prodeuntes schismaticus & haereticus error excepit, sic res erat quasi vestra gloria in carcere remansisset*. Quae etiam in medium adferre libuit, ut Adversarios reprimamus, qui Basileensium Heroum sanctitatem miris encomiis celebrant, quo illos bona fide egisse credamus, atque adeo a schismatis proprie dicti scelere immunes habeamus. At quae major gloria, aut quod illustrius verae germanaeque pietatis testimonium, quam Christum coram tyrannis esse confessum, ac diu in squallore carceris jacuisse? Nec tamen satis Confessorum maculam, Cypriano judice, aut bona fides, aut Confessionis decus absterserat.

Est etiam in eisdem Cornelii ad Cyprianum de Confessorum reditu litteris aliquid animadvertendum, quod viam nobis sternat ad alterum argumentum labefactandum, quo maxime apud Adversarios stat nititurque Basileensium caussa. Quod scilicet nulla ipsis, ut Nat. Alex. observat, Ecclesiasticae erga schismaticos disciplinae lex imposita est: sed ipsos inter & Nicolaum V. aequis pene & honorificis conditionibus transactum est, ut in caussis obscuris, & ubi dubia sunt jura partium, fieri solet. Atqui & Cornelius, ut ex laudatis litteris constat, multum severitatis in recipiendis schismaticis servari solitae erga Confessores remisit, oblivione deletis ac divino judicio reservatis, quae in ipsum antea gessissent: *His ita gestis, in Presbyterium venerunt Maximus, Urbanus, Sidonius, & Macarius, & plerique fratres qui se eis adjunxerant, summis precibus desiderantes, ut ea quae ante fuerant gesta, in oblivionem caderent, nullaque eorum mentio haberetur, perinde atque si nihil esset vel commissum vel dictum, omnibus invicem remissis &c.* Quorum se precibus annuisse SS. Pontifex sequentibus verbis testatur: *Quapropter Maxi-*

ximum Presbyterum locum suum agnoscere jussimus: ceteros cum ingenti populi suffragio recepimus. Omnia autem remisimus Deo omnipotenti, in cujus potestate sunt omnia reservata. Quod autem magis mirandum est & observatione dignum, Confessores quoque suam cum Cornelio Pontifice ejusque Clero reconciliationem Cypriano per litteras significantes, iisdem fere verbis utuntur, remque ita describunt, perinde atque aequis pene utrinque conditionibus, ut in caussis dubiis, & ubi obscura sunt jura partium fieri solet, inita pax esset: *certi sumus*, inquiunt (a), *frater carissime, te quoque nobiscum pari voto congaudere, nos habito consilio, utilitatibus Ecclesiae & paci magis consulentes, omnibus rebus praetermissis, & judicio Dei servatis, cum Cornelio Episcopo nostro, & cum universo Clero pacem fecisse.* Quibus verbis plane significare videntur, intervenisse aliquid in hoc negotio, quod utrinque remitteretur, seque & caussam suam, & jura quibus ea niteretur, studio pacis & ob Ecclesiae commodum neglexisse, ac Dei judicio reservasse. Neque Cornelius de se ac de suis juribus secus, ut jam vidimus, sentiebat ac loquebatur. Nec opus est ut hic alia Ecclesiae Catholicae Sedisque Apostolicae in schismaticos & haereticos indulgentiae ac lenitatis exempla congeramus. Obvia enim sunt, eisque ipsi etiam Adversarii, ubi illorum proposito favent, passim utuntur; ut hinc velle Basileenses a schismatis labe purgare, aut ab ea immunes fuisse demonstrare, perinde sit atque vel ipsis Donatistis argumenta suppeditare, quibus facile majores suos ab eodem scelere absolverent, cum quibus scilicet „ Episcopi Africani, ut ipse „ Bossuetius animadvertit (b), du„ ctore potissimum Augustino, ma„ ximo illo post Apostolos caritatis & „ auctoritatis Ecclesiasticae assertore, „ quasi aequo jure disceptarunt. Nihil ergo hoc argumento effici potest, quum nimium late pateat: quandoquidem in omnibus fere schismaticis, ac potissimum in eorum principibus & auctoribus ad unitatem Catholicam revocandis, multa tolerarit indulseritque Sedes Apostolica: quae illius quidem maternam sollicitudinem caritatemque commendant, sed schismaticis a scelere vindicandis idoneo argumento non sunt.

Et certe quis non merae indulgentiae fuisse dicat, quod miseris illis Conventus Basileensis, toties concisi, dissecti, atque imminuti, reliquiis Lausanae congregatis, permissum est, ut hunc adhuc titulum usurparent: *Sancta haec Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repraesentans*; ut Nicolaum V., Thomam adhuc ab eis appellatum, Romanum Pontificem eligerent; ut omnibus Christianis mandarent praeciperentque, ut ei tanquam vero, unico, & indubitato Pontifici obedirent? Hosne ludicros sane & scenicos actus Bossuetium & Nat. Alex. proferre non

(a) Epist. L. inter Cyprianicas.
(b) Sup. lib. IX. cap. XXVII.

non pudet in argumentum pacis inter Nicolaum V. & Pseudo-Felicem aequis pene conditionibus initae, ut in rebus dubiis, & ubi obscura sunt jura partium, fieri solet? Quis enim non rideat, quum videt paucos Sabaudos ab omnibus desertos, Oecumenicae Synodi ac totius Ecclesiae auctoritatem adsciscere, Pontificem Christianis omnibus colendum constituere, denique leges condere, quibus universa Christiana Respublica obsequatur? Non minus tamen illi ridiculi sunt, qui haec aliquo jure, vel saltem dubio & obscuro, a Basileensium factione, seu potius perditae illius factionis frustulo gesta fuisse, & ipsi sibi persuadent, & aliis persuadere nituntur.

Haud me latet, quam haec Adversarii ex nobis audire, aegro animo ferant; qui videlicet (a) *non modo summae temeritatis, sed etiam manifestae impietatis* esse definiunt, quod Cardinali Arelatensi ejusque Symmystis, viris eorum opinione sanctissimis, & ab omni dolo, & mendacio, & prava affectione alienis, aut falsitas imputetur, aut bona eorum fides in suspicionem adducatur, nedum ut illos schismaticae pravitatis insimulemus. Quamobrem Nat. Alex. de Lausanensibus illis Decretis loquens: „ Futile porro est, inquit (b), quod scribit Odoricus „ Raynaldus haec decreta Patres „ Basileenses per simulationem seu „ fictionem juris edidisse; sicut illiberale est, inhonestum, & Auctore Ecclesiastico indignum, quod ad „ marginem horum Decretorum; „ quibus condendis praeerat vir sanctissimus Ludovicus Cardinalis Arelatensis, adscribit convitium, *Mentiuntur*. Haec enimvero ab ipsis „ animo sincero edita, & ex persuasione sui juris, quod ad extremum usque tuiti sunt, probat Actorum fides, quam non evertunt Raynaldi & aliorum figmenta & convitia. Sed nos utrumque certum & exploratum habemus, nimirum, & plura illos temere, caeco impetu, ac praecipitanter egisse, nec malis artibus ac fraudibus abstinuisse: & illam, quam Nat. praedicat sui juris persuasionem, quod ad extremum usque tuiti sint, non lumini & virtuti, sed mentis caecitati ac pervicaciae, cujusmodi schismaticorum esse solet, adscribendam. Quod postremum accusationis nostrae caput articulo octavo prosequemur: interim autem quae ad primum pertinent expediemus, neque in iis quae proposita sunt comprobandis alium adhibebimus testem, quam Aeneam Silvium, qui, ut saepe dictum est, id temporis Basileensibus adhaerebat.

Is igitur lib. 1. Comment. de Gestis Concilii Basileensis, earum Congregationum Gesta describens, in quibus de octo illis notissimis Thesibus, quas *fidei veritates* temere nuncupabant, & quibus sibi ad Eugenium velut haereticum exauctorandum Basileenses aditum munierunt, disceptatum est; ita ut sequitur sanctissimos illos viros modeste, amice, ac pacifice, & ut decet sanctos, inter se dis-

se-

(a) Sup. lib. IX. cap. V.

(b) Dissert. VIII. in Hist. Eccles. Saec. XV. & XVI. num. VIII.

ferentes inducit. „ Plus tamen, *inquit* (a), inter eos processum est, „ quam disputandi modus exigeret: „ neque enim a probris abstinuerunt. „ *Et rursus* (b): Nec res sine violentia fuit ..... Erat namque „ ubique clamor, ubique strepitus, „ ubique jurgia effundebantur .... Episcopi cum Episcopis, inferiores „ cum inferioribus verbales habebant „ rixas, omniaque contentionibus & „ probris insonabant. Quae quum vidisset Ludovicus Patriarcha Aquilejensis ..... & eo zelo, quem „ ad Ecclesiam gerit universalem, „ versus ad Panormitanum & Ludovicum Protonotarium: *Ne credite*, inquit, *rem sic abire: Germanorum nescitis mores; nempe* „ *si sic proceditur, nequaquam fas* „ *erit integris hanc provinciam exire capitibus*. Quo verbo veluti „ caelesti fulmine tacti Panormitanus, Ludovicus, ac Mediolanensis, uno impetu adsurgentes: *Libertas*, inquiunt, *nobis eripitur?* „ *En quid est, quod frangenda nobis capita Patriarcha minatur?* Quae mox subjicio propius ad Arelatensem pertinent, cui non modo sine summa temeritate, verum & sine manifesta impietate, imputari non posse falsitatem, Bossuetius monet; cui mendacii dicam conscribere, Natali Alex. inhonestum, illiberale, & Auctore Ecclesiastico indignum facinus est. At ejus non unum aut alterum mendacium, sed narrationem mendaciis a capite ad calcem contextam idem Aeneas Silvius recenset, quam legere est eodem libro pag. 31. Est etiam lectu dignum elogium, quo eumdem Arelatensem Mediolanensis Archiepiscopus exornavit, quod pag. 32. idem Historicus refert: „ Mediolanensis „ quoque Archiepiscopus, quod ejus „ rei periculosissimum exitum judicabat, in auctorem Arelatensem „ acerbissime convitiatus est: Ipsum „ esse, qui Copistarum Paedagogorumque gregem nutriret, remque „ cum eis fidei concluderet; alium „ eum Catilinam vocitans, ad quem „ desperati & perditi omnes confugerent: illorumque ipsum esse principem, & cum illis Ecclesiam „ regere. Quae quidem convitia aut falsa, aut vera sunt. Si falsa; quo loco habebimus Mediolanensem Praesulem, qui haec maledicta in Collegam, Romana purpura ornatum, & Concilii Praesidem jactare veritus non est? Si vera; quo loco habebimus Cardinalem Arelatensem, qui se in illa conjuratione alterum Catilinam, vel in eo Latrocinio alterum Dioscorum exhibuerit, ad quem desperati & perditi omnes confugerent, quorum fretus temeritate & Episcopos contemtui haberet, & Romanis Pontificibus Sedique Apostolicae immineret, & universam Christianam Rempublicam perturbaret? Et ego quidem ut vera fuisse existimem, quae Arelatensi Mediolanensis Archiepiscopus exprobravit, facit auctoritas ac testimonium Cardinalis Turrecrematae, S. Antonini Archiepiscopi Florentini, & aliorum, quibus

(a) Pag. 9.
(b) Pag. 27. & sequ.

bus memoriae proditum est (a), interfuisse, ac subscripsisse Eugenii depositioni & Monachos apostatas, & Episcopos jamdudum ab ipso Eugenio propter eorum scelera Episcopatu dejectos: facit etiam, quod Romanos impiae in Eugenium conjurationis auctores, qui & illum Roma abire compulerant, & abeuntem imo & fugientem armis insequuti fuerant, non modo tanto facinore nondum expiato, verum & illud adspersis Pontifici calumniis nefarie tuentes, in suum recipere coetum iidem Basileenses veriti non sunt, de quo graves querelae apud Principes ab Eugenio effusae (b). Quae profecto cum eximia illa Basileensium Procerum sanctitate, miroque Ecclesiam Catholicam reformandi studio, quae de illis Gallici Scriptores jactant ac depraedicant, conciliari non possunt: ut adeo nobis religioni non sit schismaticae illos pravitatis insimulare. Nec illos *bona fide* a tanti sceleris labe intactos aut immunes existimamus: qui caeco furore perciti, nec illos audire sustinebant, qui pro Eugenio, & pro Sedis Apostolicae dignitate verba facere, aut vel mutire auderent: faciles autem omnibus calumniis praebebant aures, quibus optimus Pontifex ab hostibus proscindebatur; & illorum sermones tranquillo animo excipiebant, qui totius qua late patet Ecclesiae auctoritatem Basileam confluxisse, temere praedicabant: „ De potestate Romani Pon„ tificis, *inquit idem Aeneas Silvius*, „ *jam Pius II.* (c), pauci erant qui „ loqui praesumerent: omnes qui „ publice loquebantur, prurientes au„ ribus, multitudini applaudebant.... „ Eugenii facta damnabant.... raro „ aliquis Eugenii caussam defendit. „ Adversus Concilii dignitatem muti„ re aliquid crimen haeresis fuit. Una „ omnium vox Concilium Eugenio „ praeferebat: de Sedis Apostoli„ cae praecellentia aut silentium aut „ comtemtus: Concilium, Concilium „ cuncta sonabant. *Et infra*: Multa „ inter Neutrales didicimus, quae „ nos antea latebant. Eugenium falso „ de multis accusatum invenimus: „ Cardinales, qui Basileam venerant, „ ob privatas inimicitias bono & san„ cto Viro notam inurere voluisse. Quis *bona fide* illos agere existimet, qui viam lumini obfirmata mente praecludant, & ea tantum prono animo excipiant, quae pravis suis affectionibus adblandiantur? Hinc idem subjungit, quod Cardinalis S. Angeli, qui olim Concilii Praeses & columen fuerat, postea „ Basileensium opera „ multis modis detestabatur, Basi„ leaeque non Synodum Ecclesiae, sed „ Satanae & ministrorum ejus Syna„ gogam remansisse dicebat. Ac rursus ab eodem Cardinali haec sibi dicta testatur: *Caecus erravi*, & *in tenebris ambulavi: Reliqui tandem Ecclesiam malignantium*, & *cum impiis sedere recusavi*.

Rerum perperam ab eis & inique gestarum poenitentiam ab illis peractam esse, quos nihilominus velut sanctos aut beatos colunt, praefracte Gallici Scriptores negant. Nos autem illos nisi poenitentes nunquam colere in-

(a) Vid. Henric. Spond. ad an. 1439. num. XXXI.
(b) Vid. Odor. Rayn. ad an. 1434. num. II.
(c) Bulla Retractation.

instituerenus: qui cum eodem Cardinale S. Angeli profitemur (a): „ Omnes virtutes mancas esse ei, „ qui Pontifici obedire recusat, quamvis in sacco & cinere jacens, dies „ & noctes jejunet & oret, & in „ ceteris videatur legem implere: „ Quia *melior est obedientia, quam victimae*. Et *Omnis anima potestatibus sublimioribus subjecta est*: „ Et Romanum Praesulem in Ecclesiae vertice constitutum esse constat, a quo nullam ex ovibus „ Christi exemtam novimus. Ergo „ ad Ovile redii, qui diu erraveram „ extra caulas, & pastoris Eugenii „ vocem audivi. Haec ille: qui tamen statim atque intellexit, consummatum iri mysterium iniquitatis, a tabernaculis hominum impiorum recessit. Quamquam ergo cum schismaticorum ducibus, ex Sedis Apostolicae indulgentia, aequis pene & honorificis conditionibus inita & redintegrata pax est: attamen tot & gravissimorum scelerum veniam nisi plurimis lacrymis illos a Deo consecutos esse non credimus.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Eorum, qui post translationem Basileensibus quocunque modo adhaeserunt, aut nec illis nec Eugenio obediendum existimarunt, nulla in hac caussa ratio habenda est, omnemque illis auctoritatem merito abrogamus.

QUum jam clarissimis argumentis demonstratum sit, Eugenium IV. legitimam & oecumenicam Synodum primum Ferrariae, deinde Florentiae constituisse; Basileenses autem Eugenium exauctorando, & Pseudo-Felicem adsciscendo, schismaticae pravitatis infamiam contraxisse; quicunque Eugenio & Florentinae Synodo non adhaerebant, aut Basileensem conventum ejusque acta non omnino improbabant, nobis in hac caussa ullo modo audiendi non sunt; ut qui schisma fovendo, nec debitum legitimo Pontifici & Synodo obsequium exhibendo, omnem sibi ademerint auctoritatem. Ex iis quidam omnia Basileensium decreta velut Spiritus Sancti oracula suscipiebant, atque in his etiam Eugenii ejectionem & Amedei Ducis Sadaudiae in ejus locum subrogationem. Itaque & Eugenium tanquam legitime ejectum non jam Eugenium sed Gabrielem appellabant, & Amedeo tanquam canonice electo sub Felicis nomine obsequebantur. Atque haec erat illarum, quas Meldensis Episcopus laudat, *nobilissimarum*, ut ait, *Universitatum* sententia, Parisiensis, Viennensis, Erfordiensis, Coloniensis, & Cracoviensis, quae, inquit, propter Constantiensium Canonum autoritatem Basileensi Synodo in omnibus adhaeserunt. Alii, quamquam Eugenium ut legitimum Pontificem agnoscebant, ab eo tamen congregatam Florentinam Synodum respuebant; & contra, Felicem aversabantur, Basileensem autem tanquam legitimam & oecumenicam Synodum suscipiebant. Quam sententiam Germani maxime sequebantur: de quibus haec Pius II.

(a) Ap. Pium II. ubi sup.

II. in Bulla retractationis: *Erat tunc ille* (Fridericus Romanorum Rex) *cum tota fere Germania neutralis. Concilium Basileae dicebant esse Germani, & Idolum ejus respuebant: Eugenium Christi Vicarium appellabant, & Concilium ab eo celebratum recusabant: Nec Eugenio, nec Basileensibus plene obediebant.* Neque ab his multum discrepabant Galli: de quibus ait Bossuetius, quod quamquam Basileensem Synodum colerent, Florentinam respuerent; simul tamen Pontificem Eugenium agnoscebant, depositionem non admittebant, quod malorum Ecclesiae recordati, schisma vererentur. In ceteris Basileensia decreta, atque iis nixam Pragmaticam Sanctionem, studiosissime retinebant.

Quam ergo auctoritatem *nobilissimis* illis Germaniae & Galliarum *Universitatibus* dabimus, quas ipsi quoque Germaniae & Galliarum Reges ac Principes, tanquam perniciosa & schismatica suggerentes consilia, contemserunt? Nam praeclara illa, quae Meldensis Episcopus laudat, earum Scripta, in eos edita sunt, qui quum Constantiensium & Basileensium Decreta probarent; tamen in Eugenii fide perseverabant, & Pseudo-Felicem exsecrabantur. Contendunt autem Decreta illa admitti non posse, quin simul & Eugenii exauctoratio probetur, & Felicis electio suscipiatur. Neque sane sua illos ratio fallebat. Nam si Concilio semel congregato, in ejus potestate, ut Constantienses decreverant, Romanus Pontifex est: si Oecumenicam Synodum Romanus idem Antistes, uti Basileenses constituerant, nisi ex consensu duarum partium, neque dissolvere, neque aliò transferre potest: denique si Romanum Pontificem Ecclesiae, eamque repraesentanti oecumenicae Synodo rebellem & contumacem velut Ethnicum, & publicanum ab se abjicere potest, ac Sede Apostolica exturbare, ut Constantiensibus simul ac Basileensibus Decretis constitutum fuerat; ex his profecto principiis omnino consequens erat, Eugenium, qui, ex Gallorum Germanorumque sententia, Synodum Basileensem nullo jure aliò transtulerat; qui eidem Synodo adhuc Basileae, ut eisdem videbatur, legitime perseveranti palam adversabatur; qui Synodica Decreta non modo violabat, verum & irrita pronuntiabat, eisque obsequentes diris devovebat; legitime ab ea fuisse depositum, & Felicem in ejus locum canonice fuisse suffectum. Haec ergo illarum Academiarum sententia erat, quam tamen Germaniae, & Galliarum Reges ac Principes respuebant. In qua ergo parte veritatem ponemus? Nam si Academiarum sententiam recipimus, Regum ac Principum improbamus. Si horum consilia laudamus, illarum nos abjicere & exspuere scripta necesse est. Sic Principum Sanctiones Academiarum judiciis, sic harum judicia omnem illorum sanctionibus abrogant auctoritatem.

Imo vero, inquis, hinc apertissime liquet, summam fuisse apud omnes Constantiensium decretorum auctoritatem. Nam „ etsi de aliqua parte „ Basileensium Gestorum fuerit dubitatum; non proinde Concilii universalis, aut Constantiensium decretorum auctotitas in dubium revocata est; sed certa & inconcussa,

suo.

suoque immota pondere constitit; uti Meldensis Episcopus animadvertit. Imo vero, inquam, hinc apertissime liquet, nullam omnino esse debere Constantiensium perinde ac Basileensium decretorum auctoritatem. Nam si decreta recipimus, & schismaticas consecutiones admittere necesse est, quae Academiarum judicio ex illis sponte fluebant; quae tamen Regum ac Principum pietati ac religioni horrori erant. Si vero schismaticas illas consecutiones horremus, & decreta ipsa nos abjicere oportet, cum quibus illae individuo nexu conjunctae sunt. Sibi ergo Academiarum doctrina optime cohaerebat, sed ea probanda non est, neque in auctoritatem suscipienda, quoniam schisma in Ecclesiam invehebat, aut jam potius invectum confirmabat. Reges autem ac Principes schismaticas quidem consecutiones detestabantur; sed quum principia retinerent, ex quibus illae proficiscuntur, eorum sententia, ut sibi neutiquam cohaerens, laudanda & amplectenda non est; ut optime ac luculenter *Nobilissimae* illae *Universitates* suis hoc de argumento Lucubrationibus demonstrabant: In quibus sane si aliqua vis est, necesse est ut sententiam Germanorum & Gallorum Principum contemnamus. Si hanc autem velut aequam & Ecclesiae paci consulentem adprobamus, illas exsecremur oportet, quibus teterrimum schisma confirmabatur.

ARTICULUS OCTAVUS.

In Pseudo-Synodo Basileensi cernere apertissime est, quam perniciosa & infesta Ecclesiasticae paci & unitati sint Constantiensis Sessionis V. Decreta, nisi ad tempus schismatis & dubiorum Pontificum referantur.

HAec, ut identidem monui, est omnium Theologorum ab antiquissimis Patribus & constanti Ecclesiae traditione ducta sententia, Christum, ut Christianae Reipublicae paci & unitati consuleret, Romanum Pontificem in Ecclesia constituisse velut caput, a quo in omnia hujusce corporis membra sibi intime cohaerentia spiritus & vita manaret; aut velut centrum, ad quod omnes Ecclesiae, velut ad centrum lineae, confluerent; aut velut Principem, Pastorem, & Patrem-familias, qui in Ecclesia velut in Regno, grege, vel domo, loco & auctoritate omnibus praesideret. Noverat enim ille ipsius Ecclesiae sapientissimus conditor & institutor, tot gentium multitudinem in unius fidei communione contineri vix posse nisi per unum, cui omnes tanquam communi Magistro auscultarent, & qui omnes ad unitatem auctoritate sua moveret ac revocaret, atque omnibus, ut ait nobis alibi memoratus illustrissimus Petrus de Marca, eadem sentiendi necessitatem imponeret. Nam quotidiano & constanti experimento compertum est, quod ubi quisque suam libere opinionem promit ac tuetur, nec adest qui auctoritate sua multitudinem regat, & ad cujus sententiam omnes accedere teneantur, facile fiunt opi-

opinionum divortia, ut pene tot sententiae quot capita numerentur. Unde exsistunt animorum dissidia & pertinaces contentiones, quae unitatem scindunt, caritatem violant, communionem dissipant, & dirimunt societatem. Hujus rei praeclarum & insigne argumentum est in Synodo Basileensi, quae veluti Constantiensibus nixa decretis, quum Romano Antistiti coactivam in suum coetum ademit potestatem, & summam de fide, moribus ac disciplina condendi dogmata, sanciendique leges auctoritatem in multitudine collocavit, latissimum gravissimis & acerbissimis contentionibus ac seditionibus aditum patefecit: quae & florentissima Regna in factiones sciderunt, & nisi Principes restitissent, universam Ecclesiam quadraginta annorum turbine ac tempestate jactatam, novo ac turbulentissimo schismate concussissent. Plura jam supra memoravi, ex quibus aperte liquet, non a me ea mala supra modum inflari ad graviorem in Synodum invidiam concitandam. Ut enim multa, eaque etiam gravissima praeteream, & aliqua tantum speciminis loco commemorem; quum de loco designando, ad quam Synodus pro Graecorum unione transferretur, disceptatum est; scisso in duas factiones Concilio, duo contraria decreta in una eademque sessione, Synodi nomine universalem Ecclesiam repraesentantis, edita sunt, quorum altero Florentia vel Utinum, altero aut Basilea ipsa aut Avenio, aut altera in Sabaudia Civitas designatae sunt: quae inter Patres indecoras lites pepererunt, unde qui ceteris morum gravitate, sapientia, doctrinaque praecellebant, Basilea discesserunt. Quae deinde sequuta sunt, graviores quoque turbas excitarunt. Quidquid in Eugenium decretum est, alii probabant & commendabant, alii improbabant, ac ne ultra procederetur, intercedebant.

Sed haec tamen veluti leviores velitationes habenda sunt, si cum acrioribus illis conflictationibus conferantur, quae inconditam illam turbam in se invicem commiserunt, quum in medium adlatae sunt notissimae illae Theses, quas earum auctores per summam temeritatem & audaciam *fidei veritates* appellabant. Nam alii generatim omnes amplecti, alii omnes rejicere, alii tres priores adprobare, quinque posterioribus adversari: tantaque pertinacia suam unumquemque opinionem tueri, ut non modo nullus in disputationibus decor & ordo servaretur, verum & vis adhiberetur, & ab inferioris ordinis Clericis in Episcopos, ab his vero tum in se invicem, tum in Concilii Praesidem Romana purpura fulgentem contumeliae & maledicta effunderentur: *Nec res*, inquit Aeneas Silvius, superiori etiam Articulo memoratus, *sine violentia fuit, quum nec mandata Praesidentis retiperentur, nec ordo in rebus agendis solitus custodiretur. Erat namque ubique clamor, ubique strepitus, ubique jurgia effundebantur &c.* Pars illa, quae Praelatorum & Episcoporum numero praecellebat, se se Concilium esse jactabat, & Episcopis hoc veluti proprium & peculiare jus adserebat de fidei controversiis sive in Synodo sive extra Synodum judicandi. Verum pars altera, quae promiscuae multitudinis audacia nitebatur,

tur, id audire sine furore & indignatione non poterat. Quapropter quum Archiepiscopus Panormitanus dixisset: *Nos Praelatorum major pars sumus, nos Concilium facimus, ad nos concludere spectat: Tantus*, inquit Aeneas Silvius, qui praesens aderat, *exortus est clamor, quantus solet in praeliis turbarum clangor, & equorum fremitus audiri, quum signis collatis duo invicem concurrunt exercitus*. Tuebantur multitudinis partes, eique faces & calcaria subdebant Pseudo-Cardinalis Arelatensis & Johannes Segovius, quorum alter in hac factione dignitate, alter Theologica scientia praecellere videbatur. Si tamen aut ille Theologus audire debet, qui traditionis fonte neglecto sacras litteras ad libidinem interpretatur; aut in eo dignitas suspicienda est, qui & illa Romani Pontificis sententia dejectus est, & ipsius etiam dignitatis jura per summum dedecus prodit. Quemadmodum is, de quo nunc loquimur, Arelatensis, qui Aërii haeresim ab orco revocans, Presbyteros Episcopis aequavit, constitutosque divinitus Ecclesiasticae Hierarchiae gradus subvertere molitus est. Ut enim Presbyteris jus definiendi una cum Episcopis fidei controversias, & Ecclesiam una cum illis gubernandi vindicaret, id palam effutire veritus non est: *Neque in Concilio dignitas Patrum, sed ratio spectanda est*. Omniaque argumenta collegit, quibus veteres ac recentes Ecclesiasticae Hierarchiae hostes Episcopalem dignitatem in ordinem redigere aggressi sunt; ac potissimum notissimos illos S. Hieronymi textus, quibus imprimis Calviniani ac Presbyterani nituntur; quibus ille praeludens ait: *Et si, prout Hieronymo placet, Episcopi sunt sola consuetudine praelati Presbyteris, utique fieri potest, ut consuetudinem contraria tollat consuetudo*. Ita egregius ille Reformator ad Calvinianam Ecclesiae reformationem aditum praestruebat, quum fieri posse effutiebat, ut abolita per consuetudinem Episcopali dignitate, Ecclesia per solos Presbyteros gubernaretur. Unde porro colligit, quod *si Presbyteri debent Ecclesiam Dei cum Episcopis in communi regere, satis notum est, quod ad eos quoque decidere res spectat Ecclesiae dubias*.

Concinebat Arelatensi Segovius, acriter & ipse contendens, priores in Synodo partes illius factionis esse debere, quae multitudine superaret, quamvis altera pars sese majori Episcoporum numero efferret. *Sed ajunt, quia non debent inferiores aliquid judicare, & quia non licet nobis cum minori Episcoporum parte aliquid agere, quamvis Concilii major pars simus. Quod*, inquit, *si verum esset, plurima ex vestris decretis ruerent*. Id autem & verum & certum & exploratum inter Catholicos esse debet: ergo vel hac una ratione, si cetera argumenta deessent, plurimis ex Basileensium decretis nulla apud Catholicos constare deberet auctoritas. Quo loco *illud*, inquit, *praesertim* habendus esset, *quod de Provincialibus & Episcopalibus Synodis promulgastis: quod quum non placeret Praelatis, Cardinalis S. Angeli tunc praesidens, vix quinque associatus Episcopis cum majori parte inferiorum conclusit, licet Episcopi admodum multi obstarent*.

En

En qualia Decreta Christiano orbi velut Concilii generalis Ecclesiam universalem repraesentantis nomine & auctoritate munita obtrudebantur! quibus nimirum vix quinque Episcopi consentiebant, maximus autem Episcoporum numerus refragabatur. Quod tamen absonum videri non debet, si quemadmodum Pseudo-Cardinalis Arelatensis effutiebat, in Conciliis non dignitas Patrum, sed ratio spectanda est. Illud paullo majorem absurditatem praefert, quod statim Segovius adjungit: *Habetis praeterea in adventu Abbatis Virgiliacensis, qui primus omnium huc venit, incepisse Concilium, quamvis nullus adhuc comparuisset Episcopus*. Quibus si adjungas, Concilio semel inchoato, ex eorum sententia, adesse Spiritum Sanctum ad res fidei sanciendas, & ad Ecclesiam in membris & in Capite reformandam, neque illud a Romano Pontifice dissolvi aut transferri posse, sed ipsum potius Romanum Pontificem in Synodi esse potestate, ab ea puniendum & exauctorandum, si decretis ejus obluctetur, inde plane consequens est, temerarium illum Abbatem cum aliquot Basileensis Ecclesiae Presbyteris, qui Synodum Oecumenicam auspicati esse dicuntur, eam potuisse legitime etiam invito ac reluctante Romano Pontifice, prorogare, & Spiritus Sancti & Ecclesiae universalis auctoritate adscita, fidei controversias dirimere, Ecclesiae universae ac summo illius Hierarchae leges statuere, eumque sibi obsistentem in jus vocare, velut Ethnicum & publicanum habere, Sedeque ipsa & dignitate Apostolica exturbare. En quo fundamento, Segoviensis judicio, Basileensis Synodus stabat: quo semel concusso, & ipsam everti Synodum necesse erat. Statim enim subjungit: *Id ergo, quod isti ajunt; scilicet pluris in Synodis Oecumenicis faciendam esse Episcoporum auctoritatem, quam inferiorum Clericorum turbam; nil aliud est, quam funditus hoc Concilium evertere*.

Id autem si semel admittatur & invalescat, quod scilicet pauci ac temerarii Presbyteri Concilium Oecumenicum facere, universalis Ecclesiae auctoritatem adsciscere, & de rebus fidei statuere, & de Episcopis, imo & de Romano Pontifice judicare, permittantur; quis non videt, quanta in Ecclesiae regimen perturbatio invehenda sit? Ut enim egregie S. Cyprianus animadvertit (a): *Inde schismata & haereses obortae sunt & oriuntur, dum Episcopus, qui unus est & Ecclesiae praeest, superba quorumdam praesumtione contemnitur, ut homo dignatione Dei honoratus indignus hominibus judicatur*. Et in alia Epistola: *Haec sunt enim*, inquit (b), *initia haereticorum: & ortus atque conatus schismaticorum male cogitantium, ut sibi placeant, ut Praepositum superbo tumore contemnant. Sic de Ecclesia receditur, sic altare profanum foris collocatur, sic contra pacem Christi, & ordinationem atque unitatem Dei rebellatur*. Quae haud inaniter & ad libitum jactata &

(a) Epist. LXIX. ad Florent Pupian.
(b) Epist. LXV. ad Rogatian.

& exaggerata fuisse, effectu ipso ac novo experimento Basileensis Latrocinii exitus comprobavit: quum scilicet Presbyterorum & inferiorum Clericorum schismatica turba, repugnantibus totius orbis Episcopis, Eugenium in jus vocare, ac throno deturbare, altare profanum & Idolum erigere, & novam Ecclesiam constituere, vesano furore molita est. His autem iniquissimis molitionibus Constantienses Canones passim obtendebantur; quibus nimirum inter cetera statutum fuerat, neque per recessum Pontificis, neque per recessum quorumcunque Praelatorum, aut solutum iri Concilium, sed in sua perfectione & integritate permanere; neque cujuslibet potestate, nisi ex Patrum consensu, aut unquam dirimendum, aut aliò transferendum. Cujusmodi sane decreta nisi ad sensum traditioni & Catholicae doctrinae consentaneum inflectantur, nemo non videt, quam latum schismatibus ac seditionibus aditum patefaciant.

Profecto si ob absentiam Romani Pontificis & quorumcumque Praelatorum non solvitur universale Concilium, sed in sua integritate permanet & perfectione, retinetque potestatem & auctoritatem de Romano Pontifice ac de reliquis Episcopis judicandi, de Monarchica, imo & de Aristocratica gubernatione actum est; ac supremum Ecclesiae regimen penes multitudinem, ac Democraticum esse, omnino fatendum est. Quo nihil ad propaganda schismata & fovendas dissensiones accommodatius. Quo omnia Basileensium molimina collimasse, candide agnovit in sua Caroli VII. nomine ad Eugenium IV. gesta legatione Petrus Episcopus Meldensis, cujus Acta Odoricus Raynaldus edidit (a), & Bossuetius ejusdem Sedis Episcopus memorat cap. XVI. Is ergo Eugenium adloquens, & Basileenses insimulans, ait, quod veritatem de suprema potestate in uno exstinguere pertentarunt: quod pulcherrimam Monarchiam Ecclesiae, & nobilissimam Politiam abolere ac supprimere, & ad Aristocratiam vel ad Democratiam redigere contenderunt: quod scisma ab eis factum est nedum in obedientia capitis, verum & in doctrina Evangelii: Quod, inquit, est omnibus Christicolis abominandum. Subjungitque, pacem instaurari non posse, nisi concussa Ecclesiasticae Monarchiae fundamenta constabiliantur, ac suprema potestas, quam multitudo temere usurpaverat, ad unum, cui Christus illam contulerat, revocetur: „ Quid quaeso, inquit, magis posset in perpetuitatem schismatis tendere: quam Monarchiam Ecclesiae, quae Christianos tenuit in unitate, tollere & abolere? quam auctoritatem supremam multitudini, quae cito scinditur, tribuere? quam potestatem judicandi superiores inferioribus dare? Et sic de multis aliis, quae in practica & doctrina Basileensium concurrunt: quibus simul junctis & stantibus non est pax in Ecclesia Dei possibilis. Unde liquet, tum nullam esse & nihili omnino faciendam eorum, qui Basileensi Latrocinio quocunque modo adhaeserunt, auctoritatem; tum ni-

(a) ad an. 1441. num. VIII. & seqq.

nihil esse Ecclesiasticae paci & unitati magis infensum, quam Constantiensia Decreta, si legitimum eorum sensum illum esse dicamus, quem iis Basileenses adfinxerunt.

CAPUT XVII.

„ Bulla retractationis Pii II. ad Colo-
„ niensium Academiam, Constan-
„ tiensia Decreta firmat, Basileen-
„ sia tantum posteriora damnat.

Convenit inter omnes, qui vere sapiunt ac recte sentiunt, ad veterum Scriptorum mentem atque sententiam tuto eruendam, hanc regulam imprimis esse adhibendam, ut quae ab eis obscure vel ambigue, & verbis generalibus, pluresque admittentibus sensus, tradita sunt, ita exponantur, ut cum iis congruant, quae diserte iidem & apertis conceptisque verbis tradiderunt. At contra id eorum esse, qui veritatem sincero animo non inquirunt, sed eam potius obrui & obscurari vellent, quod iis omissis, quorum est certa, constans, & explorata sententia, ad ea confugiant, eaque maxime jactent, ac veluti ceterorum amussim haberi velint, quae liceat in plures sensus interpretari. Id in hoc Meldensis Episcopi Opere cùm saepius est nobis animadversum, tum maxime in praesenti capite observare licet. Nam quae in Bulla Retractationis Pius II. pro nostra sententia clare ac diserte docet, ea Bossuetius negligi ac pro nihilo haberi vellet: confirmatam vero generalibus verbis in eadem Bulla Constantiensium Decretorum auctoritatem (quod variis modis interpretari fas est) in eum accipit sensum, qui cum aliis perspicuis & exploratis laudatae Constitutionis capitibus conciliari non possit. Docet namque in ea Constitutione inter alia laudatus Pontifex, hunc esse in rebus a Deo sapientissimo Moderatore ordinem constitutum, *ut inferiora a superioribus gubernentur, & ad unum tandem perveniatur tamquam Principem & moderatorem cunctorum, quae infra sunt*. Ac propterea quemadmodum *Grues unam sequuntur, & in Apibus unus est rex: ita*, inquit, *& in Ecclesia militanti, quae instar triumphantis habet, unus est omnium moderator & arbiter Jesu Christi Vicarius: a quo tamquam capite omnis in subjecta membra potestas & auctoritas derivatur, quae a Christo Domino Deo nostro sine medio in ipsum influit*. Hic nemo non videt, quam in Ecclesia Monarchiam Pius agnosceret, talem videlicet, quae in unum rerum omnium supremum moderatorem & arbitrum totam conferret auctoritatem, quae ab ipso velut a capite & fonte in reliqua membra totumque corpus efflueret. Quare & infra subjungit, quod Romanus Pontifex *supremam a Deo potestatem sine medio consequitur, & per ordinem in omnem diffundit Ecclesiam*. An ejusmodi in Ecclesia Monarchiam etiam Galli Theologi agnoscunt? An ii agnoscere possunt, qui ConstantiensiaDecreta; quibus sancitum est, Oecumenicam Synodum, quae universalem repraesentet Ecclesiam, immediate a Christo potestatem habere, cui vel ipse Romanus Pontifex subditus & obnoxius habeatur; nullis circumscribi limitationibus patiuntur?

Ut

Ut autem multa praeteream, quae in eamdem sententiam ab eo luculentissime differuntur, ad eum propius accedam locum, quem nobis potissimum Bossuetius objiciedum existimavit: qui tamen recte percipi non potest, nisi & quae praecedunt & quae sequuntur, prae oculis habeantur. Postquam enim de Monarchico Romani Pontificis principatu multa disseruit, suam in pauca doctrinam contrahens, in hunc modum concludit: *Liquet igitur, unum in Ecclesia Caput esse & unum Principem: quia pax populi ex uno rectore dependet, & pluralitas Principum discordiam parit. Cristus Ecclesiae suae in ultimo testamento pacem reliquit, & pacem multis verbis commendavit: dedit ergo & regimen pacis amicum, id est Monarchicum; sub Beato Petro & Successoribus ejus administrari cuncta praecipiens, clavibus illi commissis & cura gregis demandata.* Ex hoc autem Romani Pontificis Monarchico Principatu statim colligit, ad ejus auctoritatem & potestatem pertinere, ut Concilia generalia congreget & dissolvat: *Cui*, inquit, *& congregare generalia Concilia & dissolvere datum est.* Quod generatim pronuntiatum Constantiensibus adversari Decretis, prout ea olim Basileenses, & nunc Galli Theologi interpretantur, compertum est. Quamobrem eo se redigit Bossuetius, ut saltem obtineat, *non eo usque*, Pio auctore, protendi Romani Pontificis auctoritatem „, ut etiam congregati dissolu„ tique Concilii jussa in fide, in schis„ mate, in reformatione detrectare „ possit. Quod unum, *inquit*, ex „ Constantiensi Concilio, eique con„ juncta declaratione Gallicana tuen„ dum suscepimus: cetera aliis tra„ ctanda relinquimus. Sed attendat „ Illustrissimus Adversarius quae sequuntur, ac nullis interpositis Pius ibidem adjungit: *Qui* (Romanus Pontifex) *etsi filius est* (Ecclesiae) *propter regenerationem, propter dignitatem tamen Pater habetur: & sicuti filiationis caussa venerari debet Ecclesiam tanquam matrem; ita & praelationis caussa praefertur ei ut Pastor gregi, Princeps populo, Rector familiae.* An haec etiam cum Constantiensibus & Basileensibus Decretis Meldensis Episcopus conciliabit? Nae illum imprudentem, si se in hunc locum conjiceret! Prudentius ergo talia dissimulantur, quae male compactum systema a fundamentis evertunt. Quid enim, ut Romanum Pontificem Ecclesiae subjectum esse demonstrent, Adversarii frequentius objiciunt, quam illum Ecclesiae esse filium, eique velut matri esse subjectum? At negat hoc loco diserte Pius, quod si dignitas in eo spectetur, Ecclesiae, ut filius matri, subjiciatur; imo eum Ecclesiae praeponit ut Pastorem gregi, Principem populo, Patrem ac rectorem familiae: quorum utique est jura gregi, populo, ac familiae dare, non ab eis recipere, aut eis esse subjectos.

His praemissis, ea subjungit, in quibus caussae suae firmamentum Meldensis Episcopus collocavit: *Cum his & generalis Concilii auctoritatem & potestatem complectimur, quemadmodum & aevo nostro Constantiae, dum ibi fuit Synodus universalis, declaratum definitumque est. Veneramur enim*

Constantiense Concilium, & cuncta quae praecesserunt a Romanis Pontificibus nostris Praedecessoribus adprobata. Quo ex loco colligit Bossuetius adprobasse Pium Constantiensis Concilii de generalium Conciliorum auctoritate Constitutiones. At quaestio superest, quomodo illas adprobarit; atque ex sequentibus verbis haud obscure colligimus, coarctasse illas ad ea Concilia, quae sub dubiis Pontificibus, ad eos in ordinem redigendos & evellenda schismata, celebrentur. Nam statim adjungit: *Inter quae* (Concilia) *nullum invenimus unquam fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Praesule, absque ipsius auctoritate convenerit: quia non est corpus Ecclesiae sine Capite, & omnis ex Capite defluit in membra potestas.* Quae si vera sunt, necesse omnino est, Synodi Constantiensis Decreta, si semel in auctoritatem recipiantur, ad ea referri Concilia, quae sub iis Pontificibus celebrentur, qui de Apostolica dignitate aequo jure disceptent. Nam iis Decretis constitutum est, Conciliorum generalium auctoritatem *immediate* a Christo profluere; adeoque & recedente Pontifice suam constare Synodo integritatem & perfectionem. Quum contra hic Pontifex statuat, irritum esse Concilium, quod sub indubio Pontifice sine illius auctoritate conveniat; quod non sit corpus Ecclesiae perfectum & integrum sine capite; quod in membra potestas a Capite derivetur. Futile porro est quod Meldensis Episcopus ex suo ad libitum addit: „ Sane ut congregentur, quod verborum tenor „ indicat, non autem usque adeo omnino, ut Patres semel congregati „ nullam a Christo habeant potestatem. Sed hanc limitationem, quam ad arbitrium his Pii verbis Bossuetius adjicit, nullo modo recipiunt alia ejusdem Pontificis verba, quae paullo ante in medium adlata sunt: quibus, ut jam vidimus, absolute ac generatim docet, (repetamus enim Pontificis verba) quod a Romano Pontifice *tanquam capite omnis in subjecta membra potestas, & auctoritas derivatur, quae a Christo Domino Deo nostro sine medio in ipsum influit.* Et rursus, quod ipse *supremam a Deo potestatem sine medio consequitur, & per ordinem in omnem diffundit Ecclesiam.* Quae quoniam Meldensis Episcopus dissimulare & silentio involvere satius existimavit, exspectabimus dum aliquis Parisiensis Theologus nos doceat, quomodo ea sint cum Constantiensibus & Basileensibus Canonibus concilianda.

CAPUT XVIII.

„ An Lateranensi Synodo sub Leo„ ne X. Constantiensia Decreta „ abrogentur: Quantis auctorita„ tibus haec firma sint. Cur Patres „ Gallicani priora Basileensia Ge„ sta in declaratione sua exprimen„ da non putaverint.

Mirum profecto in hoc Capite videri debet, quod Galli, qui Constantiensi Synodo in suis omnibus Sessionibus tam liberaliter Oecumenicae titulum indulgent, & Basileensi, etiam post translationem tam aegre eamdem praerogativam abrogant; mirum, inquam, videri debet, quod Oecumenicae titulum & auctoritatem Lateranensi Synodo invi.

videant. Quum & is Episcoporum numerus, & aliquot, ex omnibus fere Catholici Orbis provinciis, praesto fuerint, cujusmodi profecto nunquam Basileensis Synodus vidit: Omnium quoque Catholicorum Principum, atque ipsius etiam Galliarum Regis, Oratores interfuerunt: & quod plurimum ponderis ac momenti habet, illi per se Romanus Pontifex praefuit, & sacer Purpuratorum Ecclesiae Romanae Patrum Senatus ornamento fuit. Quid ergo Oecumenicam potestatem Basileensi Concilio tam liberaliter largiuntur, Lateranensi tam pertinaciter adimunt? Nimirum Episcoporum conventus, prout eorum rationibus aut propitii aut infensi sunt, Galli Theologi vel ad sydera extollunt, vel in ordinem redigunt. Videsis Nat. Alex. Dissert. XI. in Hist. Eccles. saec. XV. & XVI. artic. IV. ubi ex Actis syllogen profert Catholicorum Principum, qui per suos Oratores *sacro & canonico Lateranensi Concilio, Ecclesiam universalem repraesentanti, rite & legitime congregato*, ut in sua adhaesionis formula Maximilianus Imperator profitebatur, adhaeserunt: Quibus & Rex Christianissimus concinens, per suos item Oratores, *pure, libere, & simpliciter sacrosancto Lateranensi Concilio, tanquam vero, unico, & legitimo adhaesit*. Quae satis esse videntur ad refellendam Antonii Arnaldi de hoc argumento disputationem (a), qui inter alia Lateranensi Synodo mendacissime objecta, paucitatem quoque Episcoporum objicit, & defectum libertatis: quum & Maximilianus Imperator se illi ut *Ecclesiam universalem repraesentanti*, Rex, autem Christianissimus *libere* sese adhaerere, profiteantur.

In hac ergo Lateranensi Synodo, cui perperam, ut jam vidimus, & immerito Galli Theologi Oecumenicae praerogativam invident, Leo X. *sacro approbante Concilio*, Bullam edidit, qua Pragmaticam sanctionem in Bituricensi conventu, gliscente Basileensium schismate editam, abrogavit. Sanctioni plura capita inserta erant Sedis Apostolicae Romanorumque Pontificum auctoritati perquam infesta; ac potissimum Constantiensium & Basileensium Decreta, quibus Oecumenicis Conciliis supra Romanos Pontifices auctoritas vindicatur; atque his potestas adimitur eadem generalia Concilia, ipsis invitis ac reluctantibus, dirimendi, aut aliò transferendi. Quare ut haec maxime in reproba illa sanctione & sibi & Patribus improbare Pontifex declararet; *Romanum Pontificem tanquam super omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere*; tum id & sacrarum litterarum testimonio, & Sanctorum Patrum, Romanorumque Pontificum oraculis, & Canonum decretis, & propria eorumdem Conciliorum confessione manifeste constare, diserte ac verissime pronuntiavit. Quae quamquam pro ultima, suprema, & irretractabili Romani Pontificis & Concilii Oecumenici definitione vel Canone habenda esse non

(a) Eclairciffem. &c. cap. XXVII. num. IV.

non judicem aut contendam; attamen gravissimam iis constare auctoritatem, aut certe longe majorem, quam quibuslibet Parisiensis Academiae & Ecclesiae aut Cleri Gallicani Actis aut Decretis, nemo profecto qui sapiat inficias iverit.

Denique ut id semel expediam, quod identidem atque hic potissimum Bossuetius ingerit queriturque; quum Romanis Pontificibus dirimendorum seu transfendorum generalium Conciliorum plenum jus & potestatem cum Leone X. & Lateranensi Synodo adseruimus; non id certe volumus, ut ille nobis imponit (a) ,, a ,, Papa dissolvi posse Concilia nulla ,, idonea causa, nulla necessitate, ,, atque ut Eugenius ejusque adulatores ,, ferebant, pro suae libitu voluntatis; non haec, iniquam, nostra sententia est, neque id unquam Eugenius ejusque, ut eos ille perperam vocat, adulatores somniarunt. Sed dicimus ac tuemur, penes ipsos Romanos Pontifices judicium esse debere, an dissolvendae seu transferendae generalis Synodi idonea suppetat caussa, & justa necessitas. Et quum ab Apostolica Sede dissolutionis Concilii seu translationis litterae prodeunt, dubitandum non est Apostolici Decreti justas & legitimas esse caussas. Ita vel ab initio legitimas Eugenio fuisse caussas Basileensem Synodum dirimendi, ipso exitu comprobatum est: nam *per annos circiter novem & decem*, quibus Eugenio IV. & Nicolao V. invitis ac repugnantibus prorogata est, *pauca bona*, ut ait Cl. Martene (b), *infinita peperit mala partium studio, & defectu debitae summo Patri reverentiae*: quae vel inde ab initio satis se aperte prodebant. Hinc Synodi Oratoribus ad Venetorum Rempublicam, suadere conantibus, legitime Concilium, ad haereses eliminandas, pacem inter Principes conciliandam, & Ecclesiam in capite & membris reformandam, inchoatum & prorogatum fuisse; sapientissime omnium nomine Dux respondit [c], ex fructibus & exitu comprobatum iri, an bonum & legitimum principium habuisset. Nam arbor bona pacem & unitatem tulisset; plantatio autem mala, quam non plantasset Pater Caelestis, schismata & divisionem. *Quoad erectionem Concilii ad illa tria bona &c. dixit, quod arbores ex fructibus cognoscebantur; quod ipsius finis declarabit, an habuerit bonum principium, quae exspectare cupiebat, ut securius judicare posset, an fructus bonos produxisset arbor: post, Utinam non produceret schisma & divisionem in Ecclesia*, prout reapse intulit: atque adeo ex fructibus innotuit, non absque caussa arborem malam, quam non plantaverat Pater caelestis, Eugenium vel ab initio exscindere voluisse: neque illi paruisse, funestissimum Ecclesiae fuit. Id quod etiam de secunda Synodo Ephesina & Chalcedonensi Concilio alibi nobis cum Cl. Thomassino (d) observatum est. Scilicet Leonem in caussa Eutychetis super-

(a) Sup. cap. XVII.
(b) Praefat. in Tom. VIII. amplis. Collect. sub fin.
(c) Ap. eumd. ibid. col. 696.
(d) Dissert. XL. in Conc. Constantinop. sub Flav. &c. num. X.

supersedendum Concilio existimasse, in caussa Flaviani Synodum postulasse etiam atque etiam, tandem expugnasse. Quam provida autem utrobique, quamque salutaria Ecclesiae essent Sedis Apostolicae judicia, ipso rerum exitu comprobatum est. Consultissimum enim fuisset abstinere ab illa Synodo praedatoria Ephesina; consultissimum fuit inflicta Ecclesiae illo Latrocinio vulnera per Chalcedonensem Synodum obduci. Neque secus & consultissimum fuisset Eugenio Basileensem Synodum revocanti morem gerere, & consultissimum fuit Florentinam Synodum indicenti obtemperare. Quibus exemplis satis aperte liquet, ad Sedis Apostolicae judicium pertinere, an generalis Synodi celebrandae vel differendae, retinendae in eodem loco, aut aliò transferendae, idonea suppetat caussa, aut justa necessitas.

CAPUT XIX.

„ An Constantiensibus Decretis nixa „ sententia ad fidem Catholicam pertineat.

INdigna profecto ipsa per se Meldensis Episcopi judicio & gravitate ejusmodi quaestio est. Quis enim post ea, quae hactenus disseruimus, non rideat hominem serio quaestionem hanc, sane ludicram, proponentem, an ad fidem Catholicam sententia illa pertineat, quae Romanum Pontificem generalium Conciliorum potestati subjicit. Multo autem amplius ejus moderatione & sapientia illud indignum est, quod gravem sententiae nostrae notam inurere non veretur, & in medio fere relinquit, num ejus Defensores ab haereseos infamia immunes habendi sint: „ An ergo, *inquit*, Adversarii, ex omisso ana„ themate, ab haeresi satis purgatos „ se putent, ipsi viderint: a gravi „ certe nota immunes esse non pos„ sunt. Atqui, ut jam vidimus, vel inter ipsos Eugenii acerbissimos Adversarios non deerant, qui quamvis doctrinam illam veram existimarent; eam tamen ad fidei regulam minime pertinere, acerrime propugnabant; eaque controversia Basileense Latrocinium in duas factiones disjunxit, quae in se invicem caeco furore & impetu incurrentes, se etiam mutuis contumeliis & maledictis onerarunt. Quum ergo ex hactenus disputatis harumce & quaestionis & opinionis vanitas ac temeritas sit omnibus explorata, in eis pertractandis ac perstringendis tempus conterendum non est. Etenim verendum esset, ne si serio refellerentur, aliquam consequerentur auctoritatem, aut *ne responsionis gravitate*, quod ait Tertullianus (a), *adorarentur*.

CAPUT XX.

„ An ea, quam vocant, Parisien„ sium sententia occasione schisma„ tis exorta sit. Censura lata „ in Johannem de Monteso„ no anno 1387.

PRobaturus Meldensis Episcopus, Parisiensium de potiore Concilii generalis auctoritate opinionem nequa-

(a) Lib. advers. Valentinian. cap. VI.

quaquam, ut multi putant, occasione schismatis emersisse, quod Pontifices Romae & Avenione sedentes commisit, ea in medium adfert quae Petrus Alliacensis, Academiae Parisiensis nomine, adversus Johannem de Montesono coram Clemente VII. anno demum 1387. disseruit. Is enim tum ob sequentes propositiones Johannem haereseos postulavit: *Solius Sedis Apostolicae est circa fidem declarare, damnare, & reprobare*. Et iterum: *Eorum quae tangunt fidem, ad solum summum Pontificem pertinet examinatio & decisio*. Tum etiam quum in hasce propositiones inveheheretur, dicere veritus non est, quod *in caussis fidei a summo Pontifice appellari potest ad Concilium*.

Putassem certe ad eam, de qua nunc agimus, opinionem refellendam, ab Illustrissimo Adversario in medium adlatum iri Theologorum testimonia, qui saltem uno vel altero saeculo floruissent, antequam Ecclesia diro schismate lacerata & in discrimen adducta, nulla de subveniendis ejus malis consilia agitari coepissent. Id enim clare luculenterque demonstrasset, haud occasione schismatis Theologos Parisienses hanc induisse sententiam. Quid est ergo, quod ad Petri Alliacensis orationem provocat; quae anno demum 1387. coram Clemente VII. habita est, quum jam a decem annis Ecclesia diro illo turbine quateretur; quum jam multis esset exosa absoluta illa Romanorum Antistitum potestas, quibus dubii Pontifices in Ecclesiae perniciem abutebantur; quum denique multi jam persuasum haberent, pacem Ecclesiae restitui non posse, nisi eorum, qui de summa dignitate certabant, auctoritas coerceretur? Scribit enim ad annum 1379. Parisiensis Universitatis Historicus: *Non defuerunt ex Academicis nostris, qui sedentibus Romae & Avenione Pontificibus Urbano & Clemente, scriberent, non aliam esse compendiosiorem concordiae pacisque Ecclesiasticae viam, quam si uterque cederet, & Concilio generali litis decisionem permitteret*. Quod quum illi pertinaciter recusarent, profecto haud absurde creditur, hoc tot annorum intervallo, Petro Alliacensi aliisque in animum succurrere potuisse, annon potior Pontificia Oecumenicae Synodi sit auctoritas, atque adeo annon jure, quod sponte renuebant, Concilii generalis auctoritate uterque loco ac dignitate cedere compelleretur. Quum ergo Illustrissimi Adversarii scopo ac proposito minus aptum & idoneum sit ejusmodi testimonium; quid est, inquam, quod antiquiorum Theologorum testimoniis, quorum tamen aliqua ratio habenda esset, usus non est? Nimirum ea minime succurrebant, adeoque tum primum ab avita Ecclesiae Gallicanae doctrina, ut optime Thomassinus alibi memoratus animadvertit (a), Alliacensi Duce descitum est.

Non mihi est animus de duabus illis Montesoni propositionibus, necnon de appellationibus a Summo Pontifice ad generale Concilium in caussis fidei, dissertationem hoc loco texere.

(a) Dissert. XV. in Concilio Rom. sub Symmacho num. XX. & Dissert. XVIII. in Syn. Roman. an. 532. num. LXXVI.

re. Ut enim Lector perspectum habeat, quantum in illis haereseos insimulandis, his vero adserendis, ab ea quae hactenus obtinuerat in scholis Gallicanis doctrina, Alliacensis aberrarit; sufficit, ut ei in memoriam revocetur, unum & alterum Romanae Ecclesiae Summum Pastorem Clementem Quintum, & Sextum in Galliis natos, & Galliarum Academiarum lacte innutritos, id juris Sedi Apostolicae ac Romanis Pontificibus hoc eodem saeculo vindicasse, quod soli de emergentibus in Ecclesia circa fidem controversiis irretractabile judicium ferant. Nam Clemens V. in Concilio Viennensi & Clementina prima *de Summa Trinitate & Fide Catholica*, errorem Petri Johannis Olivi Apostolica auctoritate configens, ad eos dumtaxat horum declarationem pertinere, conceptis verbis pronuntiavit: *Ad quam* (Sedem Apostolicam) *dumtaxat horum declaratio pertinet*. Clemens vero VI. in Epistola ad Consolatorem Armenorum Catholicon, ut hoc ipsum velut ad fidei regulam pertinens diserte profiteretur, sequentibus verbis urgebat: *Si credidisti, & adhuc credis*, SOLUM ROMANUM PONTIFICEM *dubiis emergentibus circa fidem Catholicam posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere*. Quibus potius credemus; Alliacensine, huic doctrinae haereticae infamiae notam inurenti; an duobus Pontificibus eamdem doctrinam ad fidem pertinere decernentibus?

Quod vero pertinet ad appellationes in caussis fidei ad universale Concilium, quas coram Clemente VII. Alliacensis adstruere veritus non est, id in praesentia adnotasse sufficiat, quod est Cl. Thomassino animadversum (a): Quod „ si omnia excutiantur de Gallicanis libertatibus exarata Monumenta, id certo comperietur, nusquam de fide certatum, nusquam de fidei dogmate litem motam esse Pontifici, quoties pro libertate Gallicana conserta pugna est. Nunquam a Pontificia fidei definitione, vel ab Universitate Parisiensi, vel ab Ecclesia Gallicana, vel a suprema Parlamenti Curia ad Concilium appellatum est. Et antequam hae provocationes usurparentur, quandiu solo dissensu Gallia suas tuebatur consuetudines, nusquam Pontificis & Romanae Sedis fidei vel definitioni dissensu quacumque suo reluctata est. Haec, inquam, in praesentia adnotasse sufficiat, ut qui saeculo XIV. appellationes in caussis fidei a Romano Pontifice ad generalem Synodum commendabat, velut novae, atque adeo fugiendae doctrinae auctor insimuletur.

CAPUT XXI. &c.

„ Facultatis articuli adversus Joannem Sarrazini Praedicatorem „ paulo post Constantiense Concilium, ac Martino V. sedente.

IN hoc & sequentibus sex Capitibus Bossuetius varia profert Parisiensis Facultatis Acta, quibus probatur, eam summopere invigilasse, ne doctrina Constantiensibus & Basileen-

(a) Ubi sup. Dissert. XVIII. num. CX.

ſileenſibus decretis firmata, libero & effreni contrariorum dogmatum curſu concuteretur. Hinc confixae variiſque notis affectae Propoſitiones, quibus aut Pontifex diceretur fons & origo Eccleſiaſticae poteſtatis, aut ei ſumma & inconcuſſa in definiendis fidei dogmatibus auctoritas vindicaretur, aut illi non modo Concilia generalia ſubjicerentur, verum & ipſe ab eorum legibus & coactiva poteſtate eximeretur.

Notiſſima haec quidem ſunt; ſed plura tamen occurrunt, quibus iſtiuſmodi Actis omnis auctoritas abrogatur. Et primo quidem quoniam eiuſmodi Acta, quibus auctoritas Apoſtolica labefactatur, Sedes ipſa Apoſtolica Romanique Pontifices, ſuorum Praedeceſſorum veſtigiis inhaerentes, conſtantiſſime improbarunt. Quum autem nemo, qui Catholico glorietur nomine, ignoret, Sedem Apoſtolicam ſeu Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum eſſe Magiſtram, ſacrae doctrinae fontem indeficientem, Apoſtolicarum traditionum fidam cuſtodem, lucidiſſimam fidei columnam, & Catholicorum dogmatum firmamentum; in qua ſaltem, vel ipſis fatentibus Adverſariis, error inolere ac diu perſeverare non poſſit, & de cujus judiciis ſaltem, ut vel iidem agnoſcunt, recte praeſumendum ſit; nemo profecto nobis jure ſuccenſeat, ſi pluris quam Pariſienſis Facultatis Acta, Sedis Apoſtolicae eadem Acta improbantis, facimus auctoritatem. Illud vero huic argumento majus pondus ac momentum adjungit, quod turbinibus illis, qui totam Chriſtianam Rempublicam concuſſerunt, paullulum quieſcentibus, ceterae omnes Nationes & Eccleſiae, ac fere omnes aliarum Gentium Academiae ad avitae doctrinae fontem, unde illos violenta tempeſtas ejecerat, veluti poſtliminio reverſae ſunt, Sedique Apoſtolicae Romaniſque Pontificibus, Pariſienſis Academiae ſeu Parlamenti Acta improbantibus, adſentiuntur. Quis autem neget Sedis Apoſtolicae Romanorumque Pontificum, quibus maximus Epiſcoporum ac Theologorum per orbem Catholicum numerus ſuffragetur, eminentiſſimam eſſe auctoritatem, cum qua cujuslibet Academiae aut Nationis auctoritas nulla ratione conferenda ſit?

Secundo, neque ipſa Gallica natio, vel omnes hujus Nationis Theologi vel Epiſcopi unanimi conſenſione Pariſienſis Academiae ſenſus amplexi ſunt, vel eis, adhuc poſt Synodum Baſileenſem conſtanter ac firmiter adhaeſerunt. Extat in veteri Codice Vaticanae Bibliothecae Collectio teſtimoniorum ex veterum Patrum & inſignium Theologorum Lucubrationibus excerptorum, quam Chriſtianiſsimo Regi Carolo VII. *tres ſtatus Linguae Occitanae* obtulerunt: quibus & Rex ipſe munitus & illuſtratus ſibi a ſchiſmaticorum dolis caveret, & univerſum Regnum in Eugenii fide & obedientia contineret. Libet ex tam inſigni Monumento aliqua loca decerpere, quibus ad liquidum conſtet, haud univerſam Galliam poſt Conſtantienſe & Baſileenſe Concilium veterum Theologorum dogmata ejuraſſe, ſed inſignem Gallici Imperii partem eorum teſtimonia, quibus talia dogmata adſeruntur, & laudaſſe, & exſcripſiſſe, Regique ſuo velut apprime *Catholica* & *authentica* obtuliſſe.

Hoc

Hoc enim laudatae Collectioni praemittitur exordium: „ Ut appareat vobis Christianissimo Principi D. N. Regi, ac vestro honoratissimo & metuendissimo Concilio, supplicationes Vestrae Celsitudini traditas pro parte humillimorum subditorum vestrorum trium Statuum Patriae vestræ Linguae Occitanae, ex zeli Domus Dei sinceritate processisse pro Ecclesiasticae pacis, & unionis reformatione, imminentisque schismatis evitatione, Christianaeque devotionis & Catholicae obedientiae, quae omni jure debentur Sanctae Sedi Apostolicae, observatione, ex acervo innumerabilium auctoritatum, & dictorum Sanctorum & Catholicorum atque Scripturarum pro ipsarum declaratione requestarum, & ut ipsis plenarie per vestram Celsitudinem annuatur, aliqua media, sed tamen auctentiqua, cum omni subjectionis humilitate, praesenti scripto denotantur. Ex quo hic aliqua in medium afferre, haud ex re esse judicamus.

Laudant enim imprimis plures Angelici Doctoris textus ex Summa Theologica, & ex Summa contra Gentiles, atque hunc potissimum ex Comment. in 4. Sent. Dist. XXIV. „ Quamvis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi atque solvendi, tamen ut in hac potestate ordo aliquis significaretur, primo & principaliter soli Petro data est; ut ostendatur, quod ab eo in alios debeat ista potestas descendere: propter quod etiam ei dicit singulariter: *Confirma &c. Pasce &c.* id est, loco mei.

Proferunt & hunc textum Durandi de S. Porciano super eumdem Sent. librum & distinct. „ Potestas, quae data est uni in suo fonte, non est in aliis nisi derivata & limitata pro illius voluntate: sed potestas jurisdictionis, quae est ad regendum populum, tota & in suo fonte data fuit soli Petro, & in eo successoribus ejus, quando cura Ecclesiae sibi soli commissa fuit, dicente Dom. Joh. ult. *Pasce &c.* hoc enim nulli alii Apostolorum dictum est: Ergo talem potestatem plenam & perfectam habet solus successor Petri, qui ad hoc Papa dicitur, quia Pater Patrum: in aliis autem non est nisi derivata & limitata, prout Papae placet. Est hoc est rationale: quia optimum regimen unius multitudinis est, quando regitur per unum superiorem, a quo descendit auctoritas regendi in medios & usque ad infimos: & propterea hoc regimen est optima Politia secundum Philosophum 2. Politic. Sed regimen Ecclesiae est a Christo optime institutum: Ergo in tota Ecclesia debet esse unus universalis Rector, a quo descendit auctoritas regendi in medios usque ad Rectores infimos: & hic est Papa. Et propter hoc stat unitas Ecclesiae, quia omnia membra stant sub uno capite: qua de causa illi, qui hanc potestatem negant, schismatici dicuntur, quasi unitatis Ecclesiasticae divisores.

Exscribunt & haec Alvari Pelagii verba ex libro de statu & planctu Ecclesiae: „ Supremam Monarchiam & universalem potestatem Christi Jesu Papa ejus Vicarius per ipsius com-

„ commissionem, & ipsius vice & „ loco obtinet. Inde patet, quod „ impossibile est, illas homini subjici: „ quia in eo in quo submitterentur, „ nec esset Christi Suprema Monar- „ chia, nec universalis potestas. „ Quod est insanum & haereticum „ ponere. Unde patet, esse impossi- „ bile, Papam in his, quae ad prae- „ dictam Monarchiam & potestatem „ Papalem pertinent, se cuicunque „ subjicere, dum est Papa.

Neque verentur & hoc Regi exhibere legendum Johannis de Lignano testimonium: „ Petro & suis Suc- „ cessoribus fuit per Christum com- „ missa & tradita Monarchia terre- „ stris, quae erat penes Salvatorem „ nostrum, plena & libera spiritua- „ lium & temporalium. Et pro hoc „ facit Extravag. Bonif. VIII. *Unam* „ *Sanctam*, ubi dicitur, quod tenere „ contrarium, est haereticum.

Denique, ut alia omittam, suae collectioni & haec inserunt verba Augustini de Ancona ex lib. de Potest. Eccles. ubi docet: „ quod se- „ cundum B. Augustin. super illo „ verbo Gen. I. *Vidit Deus cuncta* „ *quae fecerat, & erant valde bona*; „ omnia a Deo producta, bona qui- „ dem erant in se, sed valde bona „ propter ordinem, quem invicem „ retinent. Cum igitur totius Eccle- „ siastici ordinis Dux & Caput sit „ Papa, sicut per appellationem „ tolleretur talis ordo, ita tollere- „ tur tale bonum. Dicit ulterius: „ Quod sicut Deus comparatur ad „ omnes caussas secundas in actione „ naturali: ita Papa comparatur ad „ omnes potestates inferiores Eccle- „ siastici ordinis in jurisdictione vel „ actione morali: Sed sic Deus „ comparatur ad causas secundas in „ jurisdictione naturali, quod potest „ exemptare unam creaturam a „ jurisdictione & actione alterius ..... „ sed non potest eximere aliquam „ creaturam a jurisdictione sua. Nam „ secundum Apostolum: *Fidelis est* „ *Deus, & seipsum negare non potest*: „ Si autem eximeret creaturam ali- „ quam a jurisdictione sua, negaret „ se esse Deum: Sic conformiter „ Papa potest eximere unum Prae- „ latum, vel unum Collegium aut „ plura a jurisdictione aliorum Su- „ periorum; nullum autem potest „ eximere a jurisdictione sua: quia „ tunc negaret se esse caput totius. „ Cum igitur per appellationem, „ si fieret a Papa, homo subtrahe- „ ret se a jurisdictione Papae, & „ supponeret se jurisdictioni alterius, „ non potest sustineri, nec Papa po- „ test de hoc facere statutum: sicut „ nec facere statutum, quod Papa „ existens Papa, negaret se esse „ caput totius Ecclesiae.

His ergo aliisque quamplurimis veterum Patrum ac Theologorum testimoniis praemissis, in haec tandem desinunt verba: „ Ex praemis- „ sis igitur mature consideratis ap- „ parere potest lucide & patenter, sup- „ plicationes pro parte praefatorum „ subditorum vestrae Regiae Maje- „ stati Christianissimae porrectas, „ justas esse & catholicas, pro ve- „ ritate S. Matris Ecclesiae, & ad „ ipsius scissurae patentis, & quasi „ inevitabilis schismatis, reformatio- „ nem.

Itaque & post Constantiense & post Basileense Concilium liberum erat

in

in Galliis, & coram Rege Regnique Optimatibus, profiteri, Romanum Pontificem fontem esse Ecclesiasticae jurisdictionis, ac talem esse Ecclesiasticam Monarchiam, ut non secus atque in aliis Regnis, auctoritas & potestas ab uno in alios omnes derivetur: Monarchiam Romani Pontificis utramque potestatem & spiritualem & temporalem complecti: Pugnantia loqui, qui Pontificiam potestatem supremam & universalem esse fatentur, & eam tamen cuicunque homini aut creatae potestati subjiciunt: Denique & eos pariter ἀσύστατα docere, qui Romanum Pontificem totius Ecclesiae Caput agnoscunt; nec tamen improbant, quod aliquis per appellationem ab ejus se eximat potestate.

Quum ergo Basileensium doctrinam nec universa Gallia amplexa sit, & ei reliquae per orbem Nationes constantissime refragentur, & in vetere sententia perseverarint, quae ante finem saeculi XIV. & initia XV. haud secus in Galliis atque in reliqua Ecclesia passim ac libere tradebatur; quumque in re ad fidem & ad interpretationem divini juris pertinente versemur: viderint Adversarii, qua ratione cùm Parisiensis Academiae censuras & acta tueantur, tum suis dogmatibus catholicum titulum vindicare praesumant. Illud enim scimus esse (*a*) *Catholicum, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est*; cui & universitas, & antiquitas, & consensio suffragatur. At eorum Acta, censuras, & dogmata nec universitas, nec antiquitas, nec omnium vel intra Gallias consensio probant; quin eis vehementissime refragantur. Quid ergo, inquis, an eos Catholicos esse negas, qui nostris dogmatibus adversantur? Absit, ut aliquam iis infamiae notam inuram, qui Catholicae communionis carissimis vinculis nobis conjuncti sunt. Sed hoc monemus, sufficere illis debere, quod eorum doctrina, quae & novitate & sectatorum paucitate suspecta est, in Ecclesia toleratur. Nec proinde Censuras & Acta proferant & ostentent, quae & antiquitas, & universitas, & ceterarum Nationum consensio neque probat, neque unquam probabit. Summopere autem mihi probatur Cl. Thomassini sententia, quam hic ego ipsissimis ejus verbis pro coronide adtexam (*b*): „ Quod etiam, *inquit*, temeritatis „ & erroris macula absolvit Duval„ lius eos, qui errare posse in do„ cendo Pontifices pronuntiant, (*at„ que eadem ratione qui eosdem Pon„ tifices Conciliorum generalium po„ testati subjiciant*) nec id abnue„ rim. Quamquam enim tam per„ spicua, & tam inconcussa illis om„ nium retro saeculorum ante Con„ stantiensem Synodum traditio in„ festa sit: quamvis adversus nupe„ ras tot haereses sibi non discors Ec„ clesiae disciplina refragetur: cle„ mentius tamen habendi sunt, tum „ quod Pontificias Constitutiones sal„ tem Ecclesiae Catholicae contem„ platione adducti venerantur, tum „ quod aliud in Ecclesia, quam in scho-

(*a*) Vinc. Lirin. Commonit. I. cap. III.
(*b*) Differt. XVIII. in Syn Rom. an 532. num. XCVII.

„ schola; aliud moribus, quam calamis sequantur. Abrepti enim „ torrente quodam universitatis fidelium toto orbe diffusae ad Pontificiorum de fide decretorum venerationem pariter impelluntur, nec „ penitus illibentes. Ut summum „ ergo, quod non semel jam supra „ adstruximus, his illi accensendi „ sunt, qui *minus caute & simplicius* aliquid opinantur; nec Catholico nomine excidunt, quibus simplicitas sua patrocinio est. Nam „ utcunque sibi docti videri soleant, „ non possunt tamen non valde hospites & peregrini in antiquissima „ Ecclesiae & universae, & in primis Gallicanae, doctrina & disciplina existimari, qui tam longe „ ab illa deviant; & nuperis dumtaxat, nec Ecclesiae ubique terrarum approbatis documentis, novellam suam opinationem communiunt.

CAPUT XXVIII.

„ An sententia de potiore Concilii „ potestate Regum juribus ac potestati noceat. Thomae Corcellaei „ responsum: Propositio Johannis „ Hussi (*leg. Wicleff*) in Constantiensi Concilio condemnata.

Quidquid in hoc Capite Meldensis Episcopus dicat; certum est tamen, Petrum Alliacensem, & Johannem Gersonium, qui praecipui novorum dogmatum auctores habentur, ut Pontifices Ecclesiae & Concilio generali, ita Reges Reipublicae Regnique generalibus Comitiis & Conventibus subjecisse. Certum est etiam, Aenea Silvio, qui praesens aderat, referente, quod Episcopo Conchensi Basileae hac ratione Concilii caussam agente, summo cum plausu, commendatione, & adprobatione ab universo Coetu ejus oratio excepta est: *Adductoque*, inquit (a), *in testem summo omnium Philosophorum Aristotele, dicebat, in omni Regno bene instituto illud in primis desiderari, ut plus Regnum posset, quam Rex: si contra reperiretur, id non Regnum, sed tyrannidem dici debere. Sic etiam sibi de Ecclesia videri, quod eam plus suo Principe, id est Papa, posse oporteret. Quem sermonem sic ornate, sic suaviter disputavit, sic docte atque verifice, ut omnes ab ejus ore avide dependerent....... ipsumque unicum esse scientiae speculum praedicarent.* Denique certum est, Almainum, Johannem Majorem, & Edmundum Richerium, post Alliacensem & Gersonium, ejusdem doctrinae vindices & adsertores, eidem principio innixos, perinde & Reges regnis, & Romanos Pontifices Ecclesiae, subjectos esse, diserte ac data opera propugnasse.

Quod ergo Thomas Corcellaeus, Factionis Basileensis Oratorum unus, coram Carolo VII. Francorum Rege, & a se, & a suis symmystis hanc sententiam rejicere visus est; id factum ab eo potius ad declinandam & repellendam invidiam, quam quod reapse illos ab eo dogmate alienos judicaret. Utcunque est, illud etiam certum & exploratum esse videtur, neque memoratum Auctorem, neque Meldensem Episcopum jure sibi sumsisse,

(a) Lib. 1. de Gest. Conc. Basileens.

fiſſe, Conſtantienſe Concilium, quum XVII. Wicleffi propoſitionem confixit; *quod Principes debeant puniri ad arbitrium populi*; eorum quoque ſententiam damnaſſe, qui Reges regnis, quibuſdam in caſibus, ſubjicerent, non Regna regibus. Non enim Alliacenſis, Gerſonius, Conchenſis Epiſcopus, Aeneas Silvius, Johannes Major, & Almainus, quos certum eſt eam tenuiſſe ſententiam, unquam dixiſſent, ad arbitrium populi Principes eſſe puniendos. Quemadmodum neque Synodus Conſtantienſis, quae, ejuſdem Corcellaei & Illuſtriſs. Adverſarii opinione, Synodo generali Romanos Pontifices ſubjecit, non Romanis Pontificibus Synodos, unquam eos probaſſet, qui abrupte ac temere effutirent, ad arbitrium Epiſcoporum aut Synodorum Romanos Pontifices eſſe puniendos: Quum ea utique non ignoraret, VIII. Synodi Oecumenicae decreto ſancitum eſſe: Quod *ſi Synodus univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Eccleſia quaevis ambiguitas & controverſia: oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de propoſita quaeſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere aut profectum facere; non tamen audacter ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romae Pontifices.*



LIBER



LIBER SEPTIMUS
QUO
MELDENSIS EPISCOPI
LIBER UNDECIMUS.
De Pontificiae Potestatis usu per Canones moderando,
„ Ad Caput Tertium Gallicanae Declarationis
Examinatur, & *confutatur*.

CAPUT PRIMUM.
„ Refertur Caput Tertium hujus declarationis.



Inc Apostolicae potestatis usum moderandum per Canones, Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos. Valere etiam regulas, mores, & instituta a Regno & Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos: Atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicae Sedis, ut statuta & consuetudines tantae Sedis, Ecclesiarum consensione firmatae, propriam stabilitatem obtineant.

Hoc tertium Caput est celeberrimae Declarationis, cujus sensum Meldensis Episcopus sequenti capite breviter ac nitide exponit. Sed antequam ad ea retractanda aggredior, quae in ejus confirmationem idem Illustrissimus Adversarius toto hoc Libro disseruit, operae pretium existimavi sequentem praemittere Dissertationem, qua Ecclesiasticae Monarchiae formam, vim, ac potestatem edissero; unde clare ac dilucide constet, sitne Romanus Pontifex Ecclesiae legibus subjectus, nec ne sit; quove sensu id adfirmari vel negari commode possit.

DIS-

DISSERTATIO,

QUA

Ecclesiasticae Monarchiae forma seu ratio explicatur.



Uamquam ex his, quae in superioribus Libris late copioseque disserui, satis constare arbitrer, tum esse in Ecclesia Monarchicum regimen divinitus institutum, tum etiam quae talis regiminis vis & potestas & auctoritas sit: attamen vereor, an adhuc tantae rei satis claram nitidamque notionem informarim, quae ad omnium mentes satis apta & accommoda videatur. Qui enim alterius Operis refellendi provinciam suscipit, ac potissimum si Adversarii sui vestigiis κατὰ πόδα insistere proposuerit, vix fieri potest, ut cogitationes suas tam apte eleganterque disponat, & ad unius certi limatique systematis, cui nihil desit, & in quo nihil redundet, formam & venustatem revocet, atque is qui ab hac necessitate solutus ac liber est, & qui non aliena diruere, sed sua accurate ac nitide exponere & stabilire conatur. Quum ergo Meldensem Episcopum insequor, & in ejus argumentis evertendis immoror, quae quum rerum olim gestarum monumentis fere nitantur, paucis ut plurimum expediri non poterant, non omnia suis locis disponere, & longius excurrere coactus sum, quam concinnandi systematis ratio postularet. Itaque, ut & mihi imprimis satisfacerem, qui rerum omnium, quarum tractationem aggredior, quantum quaelibet patitur, claras ac distinctas ideas & notiones expeto; atque ut in pauca contraherem quae latissime disputata sunt, ac variarum & disjunctissimarum rerum narrationem ad certa capita revocarem; ac denique ut Lector perspectum atque exploratum habeat, quam apte omnia concinneque & sibi & communibus notionibus in nostro systemate congruant respondeantque; contra vero quam inconcinna & ἀσύστατα sint quae Adversarii comminiscuntur: haud abs re esse judicavi, si speciali Dissertatione Romani Pontificis Monarchiam, quam omnes Catholici agnoscunt, ad certa principia & regulas exigerem, ex quibus illius forma ratioque pendeat & innotescat. Hunc autem sibi locum haec disputatio vindicare debuit: quoniam & ejus fundamenta in praecedentibus libris posita sunt; & quae in sequenti libro dicenda sunt, nisi ea praemissa, feliciter explanari, probe intelligi, & in bono lumine collocari non possunt. Ubi autem semel Apostolicae Monarchiae forma rite constituta fuerit, quae deinceps ad ejus vim ac potestatem labefactandam Meldensis Episcopus objiciet, ea aut sponte concident, aut nullo negotio dissolventur.

CAPUT PRIMUM.

Verae, propriae, & perfectae Monarchiae ratio in eo posita est, ut non modo singula Reipublicae membra, verum & universa Respublica ab uno pendeat, eique omnino subjiciatur: Talem esse Romani Pontificis Monarchiam, eadem argumenta suadent, quibus Adversarii probant, fuisse a Christo in Ecclesia Monarchicum regimen institutum.

CHristum Ecclesiam suam, quamquam in universum qua patet orbem, & in omnes gentes, quae caelsi ambitu continentur, propagandam, sic tamen instituisse, ut esset velut una Respublica, vel unum Regnum, una civitas, una familia, vel una domus, unum ovile, unus exercitus, & unum corpus; cùm sacrae litterae, tum omnes Patres ab ipsa Christianae Religionis origine perspicue luculenterque testantur. Quibus etiam illud aperte proditum est, hanc omnium Christianorum societatem, hanc omnium Ecclesiarum ad unum veluti corpus constituendum conspirationem, hanc denique totius Ecclesiae individuam & inviolabilem unitatem, non ipsorum inter se Christianorum aut Ecclesiarum pacto seu foedere initam esse continerique; sed divina quadam vi ac potestate niti, quae hanc omnium hominum & omnium gentium societatem, & universam compagem summo jure & auctoritate gubernet. Quamquam enim, uti Viris Juris publici consultissimis observatum est, (a), duo sunt potissimum vincula, quibus plurimum hominum voluntates connectuntur, ut in unum conspirent; pactum & imperium: attamen sola pacta vincula non satis valida sunt, ut plures in unum corpus *morale* firmiter colligentur: longeque validius vinculum est imperium. Non enim, quemadmodum aequaliter foederati, ita & qui eodem imperio continentur, manent omnes inter se aequales, sed dum in unum hominem aut Concilium confertur potestas praescribendi, malumque aliquod per modum poenae repraesentandi illis, qui praescripta obire neglexerint, omnibus longe major incumbit obsequii necessitas, quam si solo pacto necterentur, quo aequalitas inter socios, & jus resistendi alteri, non forent sublata. Quum ergo Christus Ecclesiam suam ex omnibus Gentibus congregandam & in aeternum duraturam, unam esse voluerit, velut unam Civitatem aut unum Regnum; Christianae religionis cultores, non mero foedere aut solis pactis, sed auctoritate & imperio tanquam firmissimo vinculo in mutuam societatem & in unum corpus colligare debuit. Quod & re ipsa perfecisse, ex sacris litteris & constanti Patrum traditione compertum est.

Hanc ergo summam potestatem, quae suapte vi & Imperio universam Christianam Rempublicam contineret, aut penes unum, aut penes paucos, aut penes universos, Christus

(a) Puffend. de Jure N. & G. lib. VII. cap. IV. §. IX. & Differt. de Reb. gest. Philippi §. IV.

ſtus eſſe voluit; ſi penes unum, Monarchicum in Eccleſia regimen inſtituit; ſi penes paucos, Ariſtocraticum; ſi penes univerſos, Democraticum. Nemo autem Catholicorum ignorat, aut non aperte profitetur, Eccleſiae regimen ex divina inſtitutione Monarchicum eſſe, & penes Romanum Pontificem, Apoſtolorum Principis Succeſſorem, eſſe hanc ad regendam univerſalem Eccleſiam Monarchicam poteſtatem. Verum, ut Hugo Grotius (*a*), Arniſaeus (*b*), aliique ſapienter admonent, ſollicite cavendum eſt, ne decipiamur ambiguo nominis ſono, aut rerum externarum ſpecie. Saepe enim accidit, ut qui omnia Majeſtatis jura uſurpaverant & Rempublicam Regia plane ſeu Monarchica poteſtate premebant, regio tamen nomine & ſplendore abſtinerent; contra vero regio titulo & externa majeſtatis ſpecie gauderent, qui illius vi ac poteſtate deſtituti eſſent. Quod laudati Auctores plurium cùm veterum tum recentium Regnorum ac Rerumpublicarum exemplis accurate demonſtrant. Si quis enim Ex. Gr. ex ſolo titulo Romanorum poſt Caeſarem Imperatorum majeſtatem metiri voluiſſet, proculdubio Regiam iis Majeſtatem abjudicaſſet: quibus tamen Regiam ſummamque dominationem [*c*] qui rem ipſam ſpectarunt, diſertis verbis adſeruerunt: *Quicunque*, inquit Appianus Praef. Hiſtor. *poſt Caeſarem Imperium tenuerunt, licet ſe Imperatores tantum dixerint, tamen ἔργα τὰ πάντα βασιλῆς exſtiterunt*. Cui concinens Dion lib. 53. *Quum ad Imperatores*, inquit, *ſumma rei deferatur, fieri non poteſt, quin ſub Regno Romani ſint*. Et contra Lacedaemonii Duces ex Herculis poſteritate, poſtquam Ephoris ſubjecti fuere, Reges nihilominus dicebantur, nimirum *nomine magis quam imperio*, ſeu, *nomine non poteſtate*, quemadmodum Cornelio Nepoti in Ageſilao proditum eſt. Et veteri Germaniae Reges erant, quos Tacitus praefuiſſe ait auctoritate ſuadendi, non jubendi poteſtate. Cavendum eſt ergo, ne qui Monarchicam poteſtatem Romano Pontifici verbis adſerunt, re ipſa denegent, aut vim ejus & jura labefactent. Quare accurata ejus notio nobis ſollicite prae oculis habenda eſt: ac vel Romano Pontifici tribuenda ſunt quae ad Monarchici regiminis conſtitutionem, οὐσίαν, aut ſubſtantiam pertinent; aut abſolute negandum eſt, Monarchicum eſſe in Eccleſia regimen: quum Chriſtianam modeſtiam minime deceat titulis ſine re, & magnificis vocabulis ad meram pompam ſummum ſacrorum Antiſtitem decorari.

Illum ergo rerum Politicarum Scriptores vere ac proprie Monarchica poteſtate praeditum eſſe definiunt, qui ſolus & ſine alterius conſortio ſumma auctoritate, non modo ſingulas Reipublicae partes, verum & univerſam Rempublicam adminiſtrat. „ Monarchiam, inquit „ Johannes Bodinus (*d*), Reipubli-

(*a*) Lib. de Jure B. & P cap. III. §. X.
(*b*) Lib. I. de Jure Majeſt. cap. I.
(*c*) Tertull. Apolog. cap. XXIV. vocat Imperium ſummae dominationis.
(*d*) Lib. II. de Republ. cap. II.

„ cae genus esse diximus, in qua „ penes unum summa totius Reipublicae potestas est. Unum, „ cùm dicimus, ipso Monarchiae verbo satis significatur: nam si duos „ pluresve adjungamus, nemo eorum summum imperium habet: „ quia summus dicitur qui nullius imperio tenetur, & ceteros cives tum „ universos, tum singulos coërcere „ potest. Hoc enim omni perfectae civitati seu Reipublicae commune est, quod summa aliqua potestate gubernentur: quae si penes unum est, Monarchia dicitur; si penes paucos, Aristocratia; si penes universos Democratia. Ac propterea quemadmodum in populari gubernatione populo quidem in singulos cives potestas est, sed populus ipse a nemine pendet: & in Optimatum dominatione, singuli Patres Senatui, at Senatus ipse nulli subjicitur: ita in Monarchico Principatu unus est, qui a nemine pendet, & in quem proinde ulla nec singulis civibus nec universis potestas est. Nam rursus quemadmodum Aristocratia totius populi potestatem ad Senatum sive Optimatum coetum: ita Monarchia omnia & populi & Senatus jura ad unum transfert; cui proinde quidquid in Republica est, & ipsa universa Respublica subjecta est.

Et haec quidem, quod ad Politicam seu Civilem Monarchiam pertinet, Adversarii ultro ac libenter admittunt, nihilque frequentius ingerunt, quam Principem qui vere ac proprie Monarchico jure gubernet, uni Deo subjectum & obnoxium esse, nullam totius populi in ipsum Principem esse potestatem, hujus denique unius auctoritate universam Rempublicam contineri. At Monarchicum Sedis Apostolicae principatum alius esse rationis: neque enim Ecclesiasticam Monarchiam, sub Christo praecipuo Monarcha constitutam, ad formam Monarchiae saecularis penitus institutam esse, ut illa ex hujus praerogativis ac legibus omnino metienda & aestimanda sit: neque adeo quoniam nec singulis civibus, neque universae Reipublicae in Principem, qui vere ac proprie Monarchico jure praesit, ulla potestas est, inde legitime eorum judicio sequitur, ullam non modo singulis Episcopis, sed neque universae Ecclesiae, inesse in Romanum Pontificem potestatem.

Paria his etiam de Civili seu Politica Monarchia aliquot Scriptores commentos esse, Hugo Grotius (a), Puffendorfius (b), aliique testantur. Majestatem illi seu summam potestatem in *realem* & *personalem* distinguebant, posteriorem quidem Regi, priorem autem Populo vindicantes, unde mutua quaedam subjectio Regem inter ac populum exsistat; ut populus universus Regi recte imperanti parere debeat, Rex autem male imperans populo subjiciatur. In qua tamen divisione, uti Puffendorfius observat, potiora essent jura populi quam Regis, quod jura realia personalibus ut plurimum antecellant, & majore in pretio habeantur. Et hanc quidem civilis Monarchiae ideam Alliacensis, Gersonius, Aeneas Silvius,

(a) Lib. I. de Jure B. & P. cap. III. §. VIII. & IX.
(b) Lib. VII. de Jure Nat. & Gent. cap. VI. §. IV.

vius, Johannes Major, Almainus, aliique novorum dogmatum architecti seu defensores animo informasse videntur, eamque postmodum ad Ecclesiasticam Monarchiam accommodasse. Atque ut alios praeteream, quorum una est de his rebus eademque sententia, instar omnium erit Jacobus Almainus, qui adversus Cajetanum de Ecclesiae & generalium Conciliorum auctoritate differens, capite primo *de origine* tractat *Jurisdictionis Civilis, ut per ejus*, inquit, *comparationem notificetur Jurisdictio Ecclesiastica; sicque lege naturali Ecclesiae auctoritas super Papam demonstretur*. Has porro de Civilis Jurisdictionis origine theses statuit: „ Quod lege naturali Jus gladii concessum est Reipublicae. Quod „ quamvis populi consensu Jus omne & potestas translata sit in Regem; tamen Respublica semper „ habitu hanc retinet potestatem, „ neque a se abdicare eam potest. „ Quod tota Communitas potestatem „ habet super Principem ab ea constitutum, qua eum (si non in „ aedificationem, sed in destructionem Politiae regat) deponere potest, aliàs non esset in ea sufficiens „ potestas se conservandi: & ista potestate Gallorum Communitas quondam usa Regem suum deposuit, „ non tam pro criminibus, quam pro „ eo quod tanto regimini inutilis esset. Quod non ideo dicitur Politia aliqua Regalis, quia unicus ei „ praesit, qui sit tota Communitate „ in Jurisdictione major, nec ei quovis modo subjectus, sed solum „ propter hanc causam quia unicus „ praeest, qui in quemlibet alterum „ de Communitate jurisdictionem habet, & est eo superior. Haec ergo sunt Almaini de Civilis Jurisdictionis origine Theoremata: quae subinde ad Ecclesiasticam Monarchiam, & modum exercendae in Ecclesia jurisdictionis accommodans, ait inter cetera (cap. IX.) quod quemadmodum Rex „ quamvis dicatur caput regni in civilibus, non est tamen concedendum, quod sit regno congregato superior in civilibus: pariformiter de Papa in ordine ad Ecclesiam dicendum est. Cui concinens Johannes Major, & ipse adversus Cajetanum pro Concilii generalis potiore auctoritate disputans, ait: *Quod sicut populus virtualiter est super Regem & in casu, ut in rebus arduis, in quibus convocantur tres status regni, qui Regem in casibus habent dirigere: sic in casibus arduis Concilium universale rite congregatum habet leges obligatorias Pontifici imponere*. Horum ergo Auctorum sententia, vis Monarchici Principatus non in eo posita est, ut Princeps absolute ac generatim universa Republica superior sit, eamque subjectam habeat; quum haec vim abdicare non possit ad Principem coercendum, vel in ordinem redigendum, si ad regimen ineptus judicetur, aut potestate sua abutatur. Quos ideo minus mirandum est, eamdem sibi Ecclesiasticae Monarchiae formam confinxisse: ad quam etiam utcumque stabiliendam iisdem ferme rationibus utebantur, quas ad Civilis Monarchiae vim infringendam cùm iidem, tum alii apud Grotium & Puffendorfium Scriptores adhibebant; atque eam potissimum, quod regimen omne,

ne, eorum qui reguntur, non qui regunt, caussa paratum sit, unde eorum judicio consequens erat, quod & Regalis potestas propter populum, & Pontificia propter Ecclesiam a Christo instituta sit.

Libuit tamen postmodum, ut paullo antea monebam, recentioribus Scriptoribus, quos Adversarios in hac caussa experimur, utriusque Monarchiae rationes sejungere; ut civili quidem non modo singuli, verum & universi cives generatim & absolute subjicerentur, Pontificiae vero Monarchiae universa Ecclesia antecelleret, atque hujus potestas & auctoritas potior & excellentior haberetur. Cujus tamen discriminis non modo ab illis Auctoribus nulla solida ratio adferri potest, sed quaecunque ab eis ad stabiliendum in Ecclesia Monarchicum regimen adferuntur, perinde probant, haud aliam esse excogitandam Civilis atque Ecclesiasticae Monarchiae rationem. Et sane si rerum notiones fixae & immobiles non sunt, aut esse non debent, easque licet ad arbitrium ad proprias rationes & hypotheses accommodare, nemo non videt, quanta illico in res Philosophicas ac Theologicas perturbatio inferenda sit. Non enim hic quaerimus, an Romani Pontificis principatus Monarchicus appellandus sit, sed rem ipsam quaerimus, & an Monarchicus reapse sit. Nam quod ad vocabulum pertinet, facile ab illo abstineremus, quod neque ex Scriptura, neque ex primaeva traditione habeatur, sed a posterioribus rerum divinarum tractatoribus adscitum & usurpatum est ad rem ipsam significandam, quae clare atque perspicue in sacris litteris & Ecclesiae traditione contineretur. Non ergo quaerimus, an Romani Pontificis principatus ad pompam & splendorem ejus augendum, & fucum faciendum imperitis Monarchici appellatione donandus sit; sed an res hoc nomine significata in eum conveniat, hoc est, an reapse illius Principatus Monarchicus sit, necne. Nam si Monarchicus est, quae ad notionem & οὐσίαν sive substantiam Monarchiae pertinent, ipsi abroganda non esse, jure meritoque contendimus. Hanc autem quum in eo positam esse, ut non modo singuli cives, verum & universa Respublica ab uno pendeat, in quem populo nulla sit auctoritas & potestas, perspicue demonstratum sit; inde consequens esse judicamus, non modo singulos Episcopos, verum & universam Ecclesiam ab uno Romano Pontifice pendere, in quem pariter eidem Ecclesiae seu per orbem diffusae sive in Synodum congregatae nulla sit vis & auctoritas tribuenda.

Non modo autem id exigit ipsa Monarchici Principatus ratio, verum id etiam suadent argumenta, quibus Theologi, & in his etiam qui nobis adversantur, Monarchicum regimen a Christo in Ecclesia institutum fuisse demonstrant; suadent, inquam, talem Monarchiam fuisse a Christo institutam, qualem paullo ante descripsimus, & cujusmodi in Civilibus admittenda est, nec deterendam esse Monarchici regiminis vim, quum de Christiana Republica sermo est. Civilis gubernatio, quemadmodum superius adnotatum est, vinculum est humanae societatis, & ad hominum pacem fovendam & multitudinem in uni-

unitate continendam instituta est. Quoniam vero ad hunc finem consequendum Monarchica gubernatio aptissima esse videtur; ideo Monarchia, communi Sapientum judicio, omnium gubernationum optima & perfectissima species habita est. Indeque Theologi jure colligunt, hanc Christum ceteris praetulisse; tum quia maxime decuit, perfectissimam Rempublicam seu civitatem, cujusmodi est ejus Ecclesia, optima & praestantissima forma administrari (a): tum etiam qui a longe arctiori vinculo in unam societatem & in unum corpus omnes Gentes constringere & colligare voluit, quam quo in unam civitatem ejusdem Nationis homines conjunguntur. Quid enim frequentius, quidve majori studio, quam pax & unitas in sacris novi Foederis litteris commendatur, ingeritur, & inculcatur? Debuit ergo omnes Gentes in hoc unum caelestis Reipublicae corpus arctissimo atque validissimo humanae societatis vinculo colligare. Quod, ut jam diximus, omnium fere Sapientum consensione, Monarchicum imperium est, quando, ut quidam ait (b), unus fulminat Jupiter, & unius jussa exaudiuntur, unius veneramur majestatem & purpuram adoramus, nobis obedientiae relicta gloria. Vix enim, ut idem subjungit, ita commode haberi potest illa animorum ad unum eumdemque finem conspiratio, ubi plures imperium tractant, propter varia hominum ingenia, & multorum male composita saepissime desideria. Quot homines, tot sententiae, quas in unum consensum cogere, hoc opus, hic labor est. Inde saepissime dissensiones gravissimae, discordiae, rixae, bellorum intestinorum caussae, quibus incommodis mederi non possumus, nisi unus constituatur Dominus, unus Rex, ut exclamat Caligula apud Svetonium cap. II. Unde illud apud Salustium: *Non potest Respublica geri multorum imperiis*. Et apud Homerum: *Multorum imperium haud bona res*. Cujusmodi incommoda quum providerent mortales, videntur in excitanda societate civili eamdem regiminis formam, quam natura cuilibet Patrifamilias tribuerat, introducere voluisse. Arbitrantes eam maxime humanae naturae consentaneum, quae ei erat coaetanea & quasi innata. Quae nemo non facile intelligit, quàm etiam ad Ecclesiasticam Monarchiam commendandam & stabiliendam apta & idonea sint.

Verum ii, qui ob ejusmodi rationes Monarchicae gubernationis formam ceteris in civilibus praeferebant, haud aliam Monarchiae speciem cogitabant, quàm quae non modo in singulos cives, verum & in universos jus imperanti & potestatem tribuit. Atque hoc maxime, ut ait Johannes Bodinus (c), Monarchicum regimen ceteris

(a) Optima regiminis forma in Ecclesia instituta a Christo est: sed Monarchia omnibus regiminis formis antecellit, ipsa natura teste, quae regem unum Apibus, gregibus ducem unum, armentis rectorem unum praeficit; ipso naturae Auctore demonstrante, qui caelestibus Hierarchiis unum Angelum constituit ceterorum ducem ac praesidem: ergo Ecclesiae regimen ex Christi institutione Monarchicum est. *Nat. Alex. Dissert. IV. in Hist. Eccles. saec. I.*

(b) Vander Meulen ad lib. I. Grotii de J. B. & P. cap. III §. VIII. num. 2.

(c) Lib. II. de Repub. cap. VI.

teris antecellit, quod in Aristocratico & Democratico, *qui summum imperandi jus habent, omnibus quidem singillatim imperare possunt, collectim non possunt. Igitur Monarchia eo praestabilior est ac illustrior, quod unus universis ac singulis imperandi jus habet: quod animadversione singulari dignum mihi videtur.* Quod autem pertinet ad illam Monarchici regiminis formam, quam ii sibi confinxerunt, qui summa potestate in *realem* & *personalem* distributa, hanc quidem Regi, illam vero populo vindicarunt; de illorum opinione Puffendorfius graviter sapienterque pronuntiat (*a*), atque illam absurdam ac periculosam esse, potissimum si commentitia illa distinctio ad monarchicum regimen accommodetur: ut nimirum simul ac semel in una eademque Republica duae supramae Potestates habeantur; altera *personalis*, quae penes Regem, altera *realis*, quae penes populum sit, ac priori illi opposita & aequalis, vel etiam illa praestantior: quum Jura realia personalibus ut plurimum praestent. Ac reapse fieri & concipi nulla ratione potest, quod simul ac semel duae summae Potestates in una eademque civitate sint: nec duo capita in eodem corpore essent, quin illud mortalibus morbis conflictaretur. Eademque & Arnisaeus (*b*), & alii pluribus prosequuntur: quae nos in Caput proximum reservamus, in quo demonstrandum nobis est, quot & quibus incommodis obnoxia sit ea, quam sic vocant, monarchicae gubernationis forma, qua Adversarii Ecclesiam esse regendam, & sibi, & aliis persuadere voluerunt. Interim ergo paucis observasse sufficiat, non esse hanc optimam gubernationis speciem, & ad populorum pacem, & *moralis*, ut ajunt, *corporis* sanitatem tuendam maxime accommodatam: sed illam praestantissimam esse, quum unus omnibus & singillatim & collectim praeest. Et merito sane: nam in qualibet bene instituta gubernatione summa Potestas: seu penes plures, seu penes paucos, seu penes unum sit; instar animae ac mentis est (*c*), quae ut in corpore naturali, ita in corpore Politico una esse debet; ut nimirum non alia sit in populo ratio & voluntas, alia in summo Gubernatore: sed hujus voluntas & ratio, potestas & imperium, populi quoque voluntas & ratio, potestas & imperium sit: quoniam ex duobus una persona quasi formatur, & quidquid vult summus Gubernator & imperat, etiam universus populus velle & imperare videtur. Atque haec una ex rationibus est, ob quas Monarchica gubernatio ceteris antecellit (*d*): quoniam Populus aut Senatus non nisi *moraliter* una persona sunt ex pluribus personis physicis constituta, quarum quaelibet suam physice voluntatem habet: quas omnes non adeo facile ac proclive est in unam conjungere voluntatem; in Monarchia vero

(*a*) Lib. VII. de J. N. & Gent. cap. VI. §. IV.

(*b*) Lib. I. de Jure Majest. cap. III.

(*c*) Vid. Vand. Meul. ubi sup. §. VII. num. I. & Puffendorf. de Rebus gestis Philippi §. 6. & seqq.

(*d*) Vid. Puffend. lib. VII. de J. N. & G. cap. V. §. IX.

vero una etiam *physice* persona & voluntas est: quae proinde aptior esse debet ad populi pacem unitatemque tuendam.

Quae quum ita sint, nemo jam non facile intelligit, quod si Christus Monarchicum in Ecclesia regimen instituere debuit, quoniam optimum & praestantissimum est, & ad conservandam Reipublicae pacem & unitatem imprimis aptum & idoneum: etiam talem Monarchiam instituere debuit, quae maxime & excellentissime ad hunc finem conducere videatur, cujusmodi, ut jam ostendimus, illa est, quae majestatem & summum imperium in unum confert, qui tuendae societati praesit, nec ullas imperii vel majestatis partes populo aut societati reservat. Hanc ergo in Ecclesia Christus instituit. Nam quod ad eam pertinet Monarchiae formam, quam Adversarii comminiscuntur, illa, ut sequenti capite demonstrabitur, plurimis & gravissimis incommodis obnoxia est, & ad Reipublicae pacem obtinendam unitatemque servandam, Democratica aut saltem Aristocratica minus accommodata. Quapropter haec ipsa ratio, qua vel ipsi Adversarii probant, monarchicum regimen fuisse a Christo in Ecclesia institutum, quod optimum & praestantissimum sit, probat etiam haud aliam monarchici regiminis formam instituisse, quam quae totam Majestatem & summum Imperium in uno collocat, cui non modo singuli cives aut omnes singillatim, verum & universa Respublica subjecta sit: haec enim optima & perfectissima forma est, & ad Rempublicam seu civitatem continendam & conservandam aptissima: qua nimirum fit, ut universum corpus uno spiritu & una mente regatur.

Neque id minus aperte luculenterque demonstrant aliae rationes, quae ad stabiliendam Romani Pontificis Monarchiam ab eisdem nostris Adversariis adferuntur. Monarchicum enim regimen fuisse in Ecclesia a Christo institutum, „ Probatur (inquit Nat.Alex. ubi supra) „ ex similitudinibus, sub quibus in „ veteri & novo Testamento abumbratur Ecclesia. *Terribilis* dicitur „ *ut castrorum acies ordinata*. Cantic. VI. At in acie ordinata, praeter Tribunos & inferioris ordinis „ Duces, unus esse debet Imperator, ad quem summa rei militaris referatur, quique exercitui quod „ facto opus sit significet ac decernat. *In quamvis grandi exercitu* „ *unius signum exportatur*, inquit „ S. Hieronymus epistola IV. Ecclesia regnum est Danielis II. praedictum his verbis: *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus* „ *caeli Regnum, quod in aeternum* „ *non dissipabitur &c.* Cùm itaque „ regnum Christi sit praesentis temporis Ecclesia, in ea summus Princeps esse debet, qui ipsam regat „ ac moderetur. Ecclesia navis est, „ in qua per Baptismum salvamur, „ in similitudinem eorum, qui in „ Arca Noë salvabantur, I. Pet. 3. „ Navi porro unus summus Nauclerus praeesse debet, qui singulis „ nautis sua munia praescribat. Ecclesia ovile est, Johan. X. *Fiet* „ *unum ovile, & unus Pastor*. „ Numquid vero in ovili, praeter „ minores opiliones, non est aliquis sum-

„ summus Pastor, cui incumbat ovium „ curam gerere, easque universim „ regere ac fovere? . . . Ecclesia „ denique unum corpus est, ad „ Rom. XII. Quemadmodum igitur „ in membrorum multitudine caput „ unum est, quod omnia membra „ nectit ac regit: ita in Ecclesia „ Christi unum caput supremum esse „ debet. Quodnam porro illud est, „ nisi Romanus Episcopus?

Verumenimvero si quis harumce similitudinum vim serio ac diligenter expenderit, statim intelliget, non qualemcumque Monarchici regiminis formam in Ecclesia Christum instituisse, sed eam, de qua nobis cum Parisiensibus Theologis concertatio est, quaeque, ut saepe diximus, plenam & summam auctoritatem & majestatem in unum Romanum Pontificem conferat ad regendas & moderandas non modo singulas Ecclesiae partes, verum & ipsam universalem Ecclesiam; quae proinde ab ipso pendeat, nihilque in illum auctoritatis habeat. Id, inquam, adlatae similitudines, derivataque ex illis argumenta plane luculenterque suadent. Nam in acie ordinata summus Imperator, non modo singulos Tribunos & inferioris ordinis duces, verum & omnes collectim & universum exercitum imperio continet ac moderatur. In Regno, quod vere ac proprie monarchice administretur, quae sit Regis ejusque potestatis & imperii vis & amplitudo, notissima illa Justiniani verba declarant (*a*): *Populus ei & in eum omne imperium suum & potestatem contulit*. Quo etiam pertinent illa in Argiva Tragoedia supplicibus sic populi Regem affantis apud Aeschylum:

Σύ τοι πόλις, σὺ δέ τὸ δήμιον.

Tu res populi, tuque urbs tota es. Et illud Pompejani apud Herodianum (*b*): Ἐκεῖ τε ἡ Ῥώμη, ἔνθα ποτ' ἂν ὁ βασιλεὺς ᾖ. *Ibi Roma, ubi Imperator est*. Quibus eleganter significatur, totam populi seu civitatis vim in Regem esse translatam, ut ipse universa civitas seu respublica esse videatur. Ita & in navi & in ovili summus Nauclerus & summus Pastor non modo singulis nautis & minoribus opilionibus imperant; verum quum in eos cura totius navis ac totius ovilis incumbat, nulla omnibus simul & nautis & minoribus opilionibus in Navarchum & summum Pastorem vis ac potestas inest. Quid vero in domo? Numquid universae familiae aut famulorum gregi in his quae pertinent ad ejus gubernationem, jus aliquod in Dominum aut Patremfamilias est? Annon in suam quisque familiam, si naturalis status spectetur, absolutissimum habet imperium? Unde illud Homericum:

Natis dat & conjugibus quisque leges. Quid denique in corpore naturali caput? Annon singula membra, & universam compagem regit ac moderatur? Ut quod ille ajebat: capitis esse imperare, non pedum, ad universum corpus transferri possit, ejus nimirum non esse ullam imperii partem in caput exercere. Si quid ergo ejusmodi simi-

(*a*) Inst. de Jur. nat. gent. & civ. §. VI.
(*b*) Lib. I. cap. XIV.

di similitudines probant; probant utique, Romanum Pontificem, qui in Ecclesia militante summus Imperator est, in Christi Regno summus Princeps, & in Arca Noë summus Nauclerus; cui *Dominus* tanquam summo Pastori *totius curam ovilis injunxit* (*a*); quem idem Dominus super familiam suam velut summum Oeconomum seu dispensatorem constituit (*b*); qui denique totius orbis Episcopis in Synodum congregatis, *velut caput membris* praeest (*c*); Romanum, inquam, Pontificem non utcunque monarchica potestate praeditum esse, sed quae illi totam Ecclesiam & per singula membra, & universe subjiciat.

CAPUT II.

Ex Adversariorum hypothesi consequens est, Ecclesiae regimen vere ac proprie neque Monarchicum, neque Aristocraticum esse; sed Ecclesiam speciem esse Reipublicae irregularis; cujusmodi fere, ex quorumdam Scriptorum sententia, Imperium Germanicum est: cujus systematis sive opinionis absurditas pluribus demonstratur.

De Republica irregulari pluribus in locis ac speciali etiam de hoc argumento dissertatione, late copioseque disseruit Samuel Puffendorfius, ex quo illam hic primum delineari necesse est, ut deinde ad hanc formam Ecclesiae regimen exigamus, quo illam velut ex Christi institutione administrandam esse, Adversarii comminiscuntur. Itaque Respublicae, illius Auctoris sententia (*d*), in simplices & compositas dividendae sunt. Ad compositas referuntur Systemata civitatum, quae non vinculo unius imperii, sed pacto dumtaxat continentur. Simplices autem rursus in regulares & irregulares distinguuntur. Regulares sunt tres illae notissimae civitatum species, ex subjecto summi imperii proprio resultantes, prout illud est vel una persona physica, vel unum corpus ex paucis, aut universis civibus constans. Porro ad essentiam civitatis perfectae & regularis requiritur, ut in ea sit talis unio, per quam omnia, quae ad ipsam regendam faciant, velut ab una anima proficisci videantur. Si quae supersint, quae ad neutram harum classium quadrent, inter irregulares numerandae sunt. Atque id in praesentia generatim observasse sufficiat, quoniam, ut idem subjungit, irregularium Reipublicae formarum neque certus iniri numerus, neque certae constitui species queunt, propter magnam varietatem, quae hic re ipsa occurrere, aut animo fingi potest. Videamus ergo, utrum ad aliquam ex tribus illis simplicibus ac regularibus formis revocari ea possit, qua Adversarii Ecclesiam regi & gubernari constituunt. Et quoniam de populari seu Democratica nulla esse potest difficultas, ad Aristocraticam, & Monarchicam quaestio referenda est; ac sedulo inquirendum: An forma illa, quam

(*a*) Simplicius epist. IV. ad Zenon.
(*b*) S. Johan. Chrys. lib. II. de Sacerdot. cap. I.
(*c*) Conc. Chalcedon. in Relat. ad S. Leon.
(*d*) Dissert. de Repub. Irregul. & lib. VII. de Jure N. & G. cap. V. §. XIII. & seqq.

Adversarii in Christianam Rempublicam invexerunt, Aristocratica sit, an Monarchica, vel ad neutram omnino quadret, adeoque inter irregulares numeranda sit; & ad quam propius ex duabus illis simplicibus & regularibus formis accedat.

Pro Aristocratico haberi posse Ecclesiae regimen, quod Adversarii tuentur, illud suadere videtur, quod Aristocraticum regimen hoc imprimis secernitur a Democratico & Monarchico, quod in illo summa potestas & omnia majestatis jura penes universos, in hoc autem penes unum sunt; at vero in Aristocratico penes aliquot primores seu Principes civitatis. Hujus porro naturae minime repugnare constituunt, unum habere caput auctoritate reliquos antecedens, quod velut Directoris & Praesidis in Concilio Optimatum vices obeat. Discrimen enim esse faciendum inter Reipublicae formam, & modum administrationis. Interdum enim contingere, ut una Respublica modum administrationis ex alterius formae Republica mutuetur, aut eum videatur aemulari, aut saltem aliquod ejusdem signum praeferre. Sic si Rex aliquis de summis Reipublicae negotiis ad concionem populi, aut ad Senatum referat, modus administrationis Democratici vel Aristocratici speciem referet; & tamen revera forma Reipublicae erit Monarchica, siquidem concilium populi & Senatus tanquam consiliarii adhibeantur, nec ab eisdem Rex necessario pendeat. At contra, si in Democratia vel Aristocratia extet Magistratus aliquis eminentior, aut Princeps proprie dictus, cui jus referendi de negotiis publicis, atque exsequendi leges ac decreta soli aut praecipue competat, & cujus nomen acta & decreta publica prae se ferant; erit quidem aliquod simulacrum Monarchiae in administratione Reipublicae; summa tamen potestas revera penes populum aut concilium Optimatum residebit. Cum his ergo Adversariorum hypothesis pene congrueret, si ad communia Ecclesiae negotia pertractanda, aut Concilia Oecumenica frequenter statisque temporibus celebrarentur; aut Purpurati Patres, ex praecipuis Christiani orbis Nationibus selecti, earum Nationum Ecclesias repraesentarent, & apud Sedem Apostolicam earum nomine agerent, atque una cum aliis Episcopis, quorum in Urbe ingens semper est numerus, coetum facerent, seu corpus constituerent, quod vim Concilii Oecumenici quodammodo exhiberet. Utrobique enim Romani Pontificis auctoritas emineret, penes eum esset Jus primae relationis cum praerogativa suffragii, ejus nomen acta & decreta publica prae se ferrent, & legum seu Canonum exsecutio ad ejus maxime curam & auctoritatem pertineret. Verum haec omnia simulacrum quidem Monarchicae gubernationis exhiberent, non veram Monarchiam constituerent; quum summa potestas de communibus Ecclesiae negotiis statuendi, penes Synodum seu coetum eorum esset, qui Ecclesiam ipsam repraesentarent, a quorum cum Pontifice consensione Decretorum vis ac robur exsisteret, & a quibus Pontifex ipse penderet, quibus esset obnoxius. Esset ergo vera Aristocratia, sed quae Monarchiae speciem aliquam prae se ferret.

At reap-

At reapse, inquis, ejusmodi perpetuum concilium statusque Senatus, cujus sit, una cum Romano Pontifice, deliberare & statuere de rebus ac negotiis ad universam Christianam Rempublicam pertinentibus; legum tamen & Canonum exsecutione, & rerum quotidianarum administratione eidem summo Pontifici injuncta; qui tamen tali Concilio vel Senatui administrationis suae rationem reddere teneatur; ejusmodi, inquam, perpetuum Concilium statusque Senatus institutus in Ecclesia non est. Quam tamen institutionem Aristocratici regiminis ratio postularet.

Verumenimvero neque nos volumus, Ecclesiae regimen vere proprieque, ex Adversariorum hypothesi Aristocraticum esse: alioquin regularis Reipublicae speciem seu formam indueret; contra atque nobis videtur. Deinde dicimus, quod quamquam hinc effici videatur, Christianae Reipublicae regimen actu ac re ipsa Aristocraticum non esse; non hinc tamen efficitur, quin saltem Ecclesiae auctoritate in Aristocraticum converti possit. Nam si penes universalem Ecclesiam, & Synodum oecumenicam, in qua illa repraesentetur, summa potestas sit, cui Romanus Pontifex subjectus & obnoxius exsistat; tum poterit sese ipsa Synodus, nequidquam Romano Pontifice refragante, in multos annos producere; tum ad certum ac determinatum tempus ac locum, neque ab ipso Romano Pontifice commutanda, aliam indicere Synodum, ad quam graviora Ecclesiae negotia differenda sint; tum denique certas praescribere leges, quas in quotidianarum rerum administratione & exsecutione sequi Pontifex teneatur; ac potissimum ut nihil alicujus momenti agat inconsulto gravissimorum Patrum Senatu; judicium Synodi subiturus, si in has leges peccaverit. Haec, inquam, omnia Ecclesia constituere poterit, si penes illam, non autem penes Romanum Pontificem, summa potestas & auctoritas est, atque adeo poterit in Aristocraticam formam Ecclesiasticum regimen transformari.

Haec merae speculationis non esse, sed ad praxim aliquando revocari posse, demonstrant exemplum, acta, & decreta Conciliorum Constantiensis atque Basileensis. Semel enim constituto, Synodum oecumenicam, quae universam repraesentet Ecclesiam, ἀμέσως a Christo potestatem habere, cujus decretis ad fidem & reformationem spectantibus & ipse Romanus Pontifex subjiciatur, ab ea, si parere contumaciter contempserit, coërcendus; Constantiense Concilium cùm alias leges ad Ecclesiae capitis reformationem pertinentes tulit, tum eam potissimum de Synodis Oecumenicis in stata tempora certisque in locis celebrandis, quarum auctoritate reformatio in capite & in membris perficeretur. Quibus nixa decretis Synodus Basileensis, frustra eam revocante Eugenio IV. ad plures annos prorogata est; omnia ferme ad se Ecclesiastica negotia pertraxit, quae apud Sedem Apostolicam pertractari consueverant; plurimas durissimasque Romano Pontifici leges indixit, eisque refragantem monere, in jus vocare, canonicis poenis subjicere, dignitate dejicere; alium, ad libitum & ad arbitrium regendum, sibique ad nutum obtemperantem, in

ejus

ejus locum subrogare; aliam denique post triennium Oecumenicam Synodum Lugduni celebrandam indicere aggressa est. Quae omnia ad Ecclesiasticam Monarchiam evertendam, & Aristocraticum regimen invehendum comparata esse, non modo Eugenius IV. haud semel conquestus est, verum & Petrus Episcopus Meldensis Caroli VII. Francorum Regis Legatus, coram ipso Eugenio publice sollenniterque professus est (a). Neque sane Galli alia ratione nefarios hosce Basileensium ausus improbare possunt, ac reapse tunc improbarunt, quam quod ambigerent, an tunc Synodus satis Ecclesiam Catholicam repraesentaret. Hoc enim semel constituto, quidquid in Eugenium, & ad coërcendum Apostolicae potestatis usum, Synodus egit, ex Adversariorum hypothesi, jure ac legitime egisset; adeoque veram in Ecclesiam Aristocratiam, quamquam retenta Monarchiae specie ac vocabulo, invexisset.

Sed quoniam constantia sua Romani Pontifices evicerunt, ut pleraque & graviora Basileensium acta rescinderentur, neque reapse Ecclesiae regimen vere ac proprie Aristocraticae gubernationis formam & speciem induit: videamus, an ex eadem Adversariorum hypothesi Christianae Reipublicae regimen vere proprieque Monarchicum dici possit: quae altera regularis Reipublicae species est. *Monarchiam*, ut identidem monui, Philosophi Jurisque naturalis consulti, *Reipublicae speciem esse* definiunt, *in qua penes unum summa totius Reipublicae potestas est: summus autem dicitur, qui nullius imperio tenetur, & ceteros cives tum universos, tum singulos coërcere potest*. Ad quam profecto definitionem si Ecclesiae regimen, cujusmodi ab Adversariis constituitur, exigatur, nemo non statim intelliget, illud a vere propriaeque Monarchiae forma plurimum abesse. Hi enim, utsaepe dictum est, summam potestatem in universa Ecclesia & generali Concilio esse constituunt; cujus potestatis jure fas eis sit ipsum quoque Romanum Pontificem suis subjicere legibus ac decretis, & in refractarium poenis canonicis animadvertere; quemadmodum in Synodis Constantiensi & Basileensi identidem declaratum est. Quod verae Monarchiae ratio perinde non admittit, atque vera Democratia vel Aristocratia esse non possunt, si populus aut Optimates superiori potestati subjecti sint.

Sed ut luculentius perspiciatur, quam longe a verae Monarchiae ratione Ecclesiae regimen absit, simulque demonstretur, quam non injuria ad irregulares Respublicas revoce-

(a) Nobilissimam Politiam, quae Beatitudinem caelestem habet pro fine, ad Democratiam vel ad Aristocratiam redigentes; & ulterius in malis procedendo, unum sibi in Capite assumserunt, qui non eis praefertur. *Et rursum*: Quid quaeso magis posset in perpetuitatem schismatis tendere, quam Monarchiam Ecclesiae, quae Christianos tenuit in unitate, tollere & abolere? quam auctoritatem supremam multitudini, quae cito scinditur, tribuere? quam potestatem judicandi superiores inferioribus dare? Et sic de multis aliis, quae in practica & doctrina Basileensium concurrunt: quibus semel junctis & stantibus, non est pax in Ecclesia Dei possibilis. *Ap. Odoric. Rayn, ad an.* 1441. *num.* 10. *&* 12.

vocetur, si recte Adversarii illius rationem constituunt; age praecipuas Ecclesiastici corporis partes nobis prae oculis constituamus; & an omnes uno veluti spiritu unaque mente regantur; in quo primum ac potissimum regularis Reipublicae forma posita est; sedulo consideremus. Praecipuae olim Ecclesiae Catholicae partes fuerunt, Aegyptus, Oriens, Thracia, Pontus, & Asia, quibus Alexandrinus, Antiochenus, Caesariensis, & Ephesinus Episcopi, duo quidem priores Patriarcharum, tres autem posteriores, (quos deinceps sibi Constantinopolitanus Antistites Patriarchico jure subjecit) Exarcharum nomine praeerant. Atque inter praecipuas Orientalis Ecclesiae partes Palaestina habita est, quum & Hierosolymitanus Episcopus Patriarchica dignitate auctus est. Quod vero pertinet ad Occidentem & Africam, quamquam ἀμέσως Romano Episcopo subdebantur, attamen in universam Africam specialia quaedam erant Carthaginensis Episcopi jura, atque, ut Adversarii volunt, Galliarum & Hispaniarum Ecclesiae suis quodammodo legibus & consuetudinibus utebantur. Quo autem pacto ejusmodi Ecclesiae, in quas olim Christianus orbis distribuebatur, unum tamen sub Romano Pontifice Christi regnum, hoc est regularem Rempublicam, quae uno veluti spiritu ac mente regeretur, constituerent, ex nostrae doctrinae principiis tam facile intelligitur, quam quod diversae Galliarum provinciae unam sub Christianissimo Rege Monarchiam & regularem Rempublicam efficiant. Quandoquidem nostra sententia ex S. Irenaeo hausta, *ad Romanam Ecclesiam, propter potentiorem*, aut *potiorem ejus principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire* (a); hoc est, in fidei morumque dogmatibus consentire: atque eam esse dicimus vim unitatis (b), quae principium & originem a Petri Sede trahit, ut cum ea sentiendi necessitatem ceteris imponat. Ita enim proprie ac re ipsa in adserenda fide, sive omnibus Ecclesiis in unam fidem colligandis, Romanus Pontifex vim Monarchicae potestatis exercet. At si Adversariorum hypothesim consulamus, fieri profecto non potest, ut omnes Ecclesiae partes, adeoque & universum corpus, a Romano Pontifice, ejusque auctoritate, velut ab una mente, regantur. Docent enim Adversarii, quod Romano Pontifice sollennem aliquam Constitutionem in universum orbem emittente, ut ei ab omnibus pareatur, ut sit omnium una fides, ut idipsum dicamus omnes, & sit universa terra labii unius & sermonum eorumdem, non autem sensuum linguarumque divisio atque confusio; docent, inquam, integrum esse Episcopis Apostolicam Constitutionem ad examen revocare, suumque de illa judicium proferre, & vel eam probare, si traditioni sacrisque litteris consonam judicaverint; secus autem, libere illam rejicere, quemadmodum Honorii ad Sergium epistolae a Catholicis Episcopis neglectae ac reprobatae sunt. Et si unus quidem

(a) S. Iren lib. III. advers. haeres. cap. III.
(b) Pet. de Marca de Conc. Sac. & Imp. lib. I. cap. II. num. VI.

dem aut alter Episcopus contradixerit, ceteris consentientibus, fas esse Romano Pontifici, illum poenis Canonicis ad obsequium cogere, & Ecclesiae Catholicae communione exturbare, ne illam pravis opinionibus polluere, ac fidei unitatem vexare ac violare pergat. At si aliqua ex insignioribus Ecclesiis vel Ecclesiae partibus, ut E. G. Aegyptiaca, Asiatica, Africana, Gallicana, Constantinopolitana restiterit; eam non esse Romani Pontificis auctoritatem, ut solus invitas ac repugnantes in suam pertrahere sententiam possit. Sic Asiae Proconsularis Ecclesiae, ut Adversarii docent, morem celebrandi Paschatis quartadecima Luna ad usque Nicaenam Synodum constanter retinuerunt, quamvis ejusmodi institutum Victor damnasset, totamque Sedis Apostolicae auctoritatem in Polycratem Ephesinum aliosque Asiaticos Episcopos exteruisset. Sic Africani & Pontici Episcopi in exsufflando haereticorum baptismate innoxie perstiterunt, quamvis Romanis Pontificibus probaretur, & ab omnibus ratum habendum esse, sollenni sanctione Stephanus decrevisset. Sic Nestorius, quod Orientales aliosque sibi Episcopos conciliaverat, usque ad Ephesinam Synodum Constantinopolitanam Sedem retinuit, & *reverendissimi ac religiosissimi Episcopi* appellatione donatus est, quamquam eum Caelestinus velut haereticum exauctorandum decrevisset, nisi intra decem dies impia dogmata revocasset. Sic denique, ut alia exempla praeteream, Galliarum Episcopi septimam Synodum, decretumque ab ea sacris Imaginibus cultum veluti cum superstitione conjunctum diu reprobarunt, quamquam & Synodum & ejus decreta Romani Pontifices tuerentur. Jam vero quis dixerit, quod gliscentibus intra Ecclesiae sinum ejusmodi dissensionibus & controversiis, confixaque a Romanis Pontificis dogmata & instituta insignium Ecclesiarum Episcopi praefracte & innoxie retinentibus, nihilominus universam Ecclesiam, eorumdem Romanorum Pontificum judicio & auctoritate velut uno spiritu & una mente fuisse gubernatam? Aut eam esse vim unitatis, quae principium & originem a Petri Sede trahit, ut eadem cum illa sentiendi ceteris Ecclesiis necessitatem imponat? Quod tamen, ut saepe diximus, verae Monarchiae, & cujuscunque regularis Reipublicae ratio & potestas exigeret. Neque hic considerandum est, quid aliquando pacis studio & prudenti quadam oeconomia Romani Pontifices tolerarint, aut tolerare possint, sed vis & amplitudo potestatis unice spectanda est: quae si tanta non est, ut omnes & singulas Ecclesiae partes continere valeat, unius doctrinae vinculo, quod ad dogmata moresque pertinet, colligare; plurimum Romano Pontifici de Monarchica auctoritate deteritur, atque omnino fatendum est, ad regularis Reipublicae formam Ecclesiae regimen non quadrare.

Id forsitan Adversariis absonum non videbitur, sed commendandum potius & adprobandum, quoniam aliter constare non posset Ecclesiarum libertas, quam Christus sartam tectamque esse voluit, nec ullius absoluta dominatione violari. Perinde atque ab optimo Principe guberna-

ri, ei-

ri, eique parere, quantalibet sit ejus auctoritas & potestas, id vero servitus dicendum sit. Verum, ut ait Poëta (a):

Fallitur, egregio quisquis sub Principe credit
Servitium. Nunquam libertas gratior exstat,
Quam sub Rege pio.

Neque minus liberi ac felices (b) sub optimo Principe cives sunt, quam in qualibet populari gubernatione. Quemadmodum enim (c) in Republica Democratica unus, qui ceteris virtute praestet, aliam quodammodo Reipublicae induere speciem videtur, perinde atque una mente & unius imperio duceretur: ita sub Rege, qui omnia ad Reipublicae felicitatem referat, nemo non populare regimen esse judicaret. Christus ergo ut optimum in Ecclesia regimen institueret, quum Principi Apostolorum summoque ovilis Pastori confirmandi frates & oves pascendi curam commisit, caritatem commendavit, dominationis fastum damnavit, suoque exemplo ad omnem modestiam comparavit. Sed ovibus in summum Pastorem aliquam potestatem alicubi dedisse non legimus. Quod enim huc trahere solent illud Matthaei XVIII. *Si peccaverit in te frater tuus &c.* quam id alienum & absonum sit, puto & ipsi Adversarii intelligunt, quamquam & urgere identidem pergunt, ne omnino Scripturarum auctoritate defici videantur. Principem ergo Christiani populi tanquam ovium Pastorem esse voluit: quod munus ut summae in oves auctoritatis est, ita pietatis & caritatis munus est: Christianae autem Reipublicae cives Ecclesiae Principi velut oves & agnos pastori subesse voluit: quarum libertas non in eo posita est ut pro libito vagentur & errent, & hac illacque discurrant, sed ut pastori ad manum sint, eique adhaereant, eumque ducem sequantur. En vera Christianae Reipublicae idea, qualem Christus instituit, & ex sacris litteris informamus. Non enim, ut etiam illud addamus, in regno veritatis, quod est Ecclesia, vera libertas est, quae magis libeat, opinionem amplecti, seu vera, seu falsa sit; sed ab errandi periculo tutum esse, & certissimis brevissimisque & quam facillimis viis ad veritatem pertingere. Quid enim profuit Polycrati & Asiaticis; quid Cypriano & Ponticis Episcopis libertas, quam sibi perperam vindicarunt; illi quidem in retinendo more celebrandi Paschatis quartadecima Luna; hi vero in Christi baptismate ob nefaria ministri dogmata rejiciendo? Quid Orientalibus profuit, quod adversus Caelestini judicium Nestorium fovere ejusque tueri partes, sui esse juris & officii existimarunt? Quid Gallis profuit, quod aliquando probatam Romanis Pontificibus septimam Synodum decretumque ab ea sacris Imaginibus cultum exagitarunt? Quid denique, ut alia ejusmodi omittam, aliquot Episcopis profuit, quod Romanorum Pontificum adversus Jansenianam haeresim ejusque varios surculos Constitutiones suscipere detrectarunt? Nem-

(a) Claudian. in sec. Consul. Stilicon. ver. 113. & seqq.
(b) Puffend. lib. VII. de Jure N. & Gent. cap. VI. §. V.
(c) Philost. in V. Apollon. lib. V. cap. XII.

Nempe ut non ea appetenda libertas est, quae in delinquendi periculum adducit: ita nec illa libertas diligenda est, quae cum errandi periculo conjuncta est: atque ut praestat a peccandi, ita & ab errandi discrimine quam longissime abesse. Nemo autem unquam in errorem incidit, qui Romanis Pontificibus fidem sollenniter definientibus obsequutus est & constanter adhaesit. Quae enim ad adsequendam veritatem, atque omnes gentes unius fidei vinculo conjungendas, brevior & expeditior via, quam si unus homo in Ecclesiarum omnium vertice constitutus, & caelestibus promissis ab errandi periculo tutus, ac divina fultus auctoritate, exortis in Ecclesia circa fidem dissensionibus & controversiis, quae tenenda & credenda sunt decernat, atque eadem omnibus sentiendi necessitatem imponat? Quis hanc necessitatem cuilibet libertati non anteponat? Non adfirmemus interim absolute, rem ita esse; id tantum velut hypothesis habeatur; nempe ita Christum Ecclesiae suae consuluisse, ut Romanus Pontifex sedens in Petri Cathedra fidei quaestiones sine ullo errandi periculo definiat. Quis non hanc viam manifestandae veritati, & consulendo paci Fidelium accommodatissimam praedicaret? Aut quis suam adversus illam tueri libertatem vellet? In quo enim tandem haec ab Adversariis tantopere celebrata libertas posita est? Nimirum, ut usque ad Synodum Oecumenicam, & donec Ecclesiae consensus exploratissimus habeatur, suam quisque opinionem absque nota vel infamia haeresis tueatur. Non enim eam probant libertatis speciem, qua Protestantes se efferunt, ut etiam adversus Synodum Oecumenicam, & Ecclesiae universae judicium suam quisque defendat sententiam. Ergo & ipsi parendum & obsequendum docent Ecclesiae universalis judicio, quemadmodum nos etiam Romani Pontificis sententiae adquiescendum existimamus. Neque enim ullus Catholicorum Christianae Reipublicae felicitatem ac libertatem in eo reponit, ut quisque pro libito privatoque judicio de fidei rebus constituat. Itaque penes aliquem summa esse debet Christianae Reipublicae potestas, atque illud unice inquirendum superest, an Christiani populi paci ac felicitati magis accommodatum sit, ut penes unum esse dicatur, an penes universam Ecclesiam, aut Synodum Oecumenicam, in qua illa repraesentetur.

Si generatim & absolute quaestio proponeretur, an magis congruum esset, Ecclesiam Democratice vel Aristocratice, an potius Monarchice gubernari; nemo, ut jam dixi, Catholicorum pro Monarchica gubernatione non esset. Quaestio ergo tantum inter Catholicos esse potest, an Christianae Reipublicae felicitati magis apta sit simplex ac regularis Monarchia; an potius Monarchia mixta & irregularis, in qua hinc penes Principem, hinc autem penes Optimates, suo apud quemque modo, summa potestas esse videatur. Grotius lib. I. de Jure belli & pacis cap. III. §. IX. de illorum opinione disserens, *qui mutuam quamdam subjectionem sibi fingunt, ut populus universus Regi recte imperanti parere debeat, Rex autem male imperans popu-*

populo subjiciatur; observat, quod ii *si hoc dicerent*, *non facienda ob Regis imperium ea*, *quae manifeste iniqua sunt*, *verum dicerent*, *& quod apud omnes bonos confessum est*: *sed id nullum includit coactionem*, *aut jus aliquod imperii*. Id & mihi hoc loco praemittendum existimavi adversus eos, qui Romanum Pontificem potestate sua male utentem universali Ecclesiae subjiciunt; nimirum si hoc tantum dicerent, facienda non esse ob summi Praesulis imperium quae manifeste iniqua sint, & ab Evangelii regula abhorreant, verum dicerent, & quod apud omnes in confesso est (a). Quis enim unquam aut Liberio (b) jubenti damnari Athanasium, aut Stephano VI. in Formosum furenti & impie debacchanti, obtemperandum fuisse somniavit? Sed id potestatis coactivae, quam sibi in Romanum Pontificem, Ecclesiae decretis parere, seque moresque suos ad ea componere detrectantem, Constantiensis & Basileensis Synodus adserebant, argumentum non est. Subjungit Grotius (c): *Quod si etiam populo alicui propositum fuisset partiri cum Rege imperium*, *fines certe potestati utriusque assignari debuissent tales*, *qui cognosci facile possent ex locorum*, *personarum*, *aut negotiorum discrimine*. Quum Christus Matth. cap. XVII. Petro Regni caelorum claves promisit, ut quaecunque ligaret aut solveret super terram, ligata aut soluta essent & in caelis, Monarchica eum potestate, ut omnes Catholici fatentur, instructum iri spopondit, quae, ut verba ipsa prae se ferunt, nullis esset terminis ac finibus coërcenda: *Quodcunque ligaveris .... Quodcunque solveris*. Quum autem capite sequenti omnes adloquens discipulos ait: *Quaecunque alligaveritis super terram &c.* summam Apostolorum collegio, adeoque & Episcoporum coetui, ut Adversarii contendunt, potestatem tribuit. Duplicem ergo, ex eorum sententia, in Ecclesia veluti summam potestatem instituit, ac neutram certis limitibus definivit. Nam ut nihil Apostolorum collegio, ita nihil Petro subtraxisse videtur. Quo certe nihil absurdius, & continendae Reipublicae, pacique ac tranquillitati fovendae minus accommodatum. Sed rursus ad Grotium oculos admoveamus: *Bonitas autem*, inquit, *aut malitia actus*, *praesertim in civilibus*, *quae saepe obscuram habent disceptationem*, *apta non sunt ad partes distinguendas*: *unde summam confusionem sequi necesse est*, *cognitionem de re eadem pro jure potestatis*, *obtentu actus boni malique*, *hinc ad se Rege trahente*, *inde populo*: *qualem rerum perturbationem introducere nulli*, *quod sciam*, *populo in mentem venit*. Hanc tamen sapientissimus ille Christianae Reipublicae Conditor in Ecclesiam invexit, si qualem Adversarii existimant, talem esse voluit illius gubernationem. Quum enim potestati Petri nullos praefixerit terminos; *Nihil enim*, ut ait S. Bernardus (d), *excipitur ubi distinguitur nihil*;

 Prin-

(a) Vid. Ivon. epist. CCXXXVI.
(b) Videsis Hilar. Fragm. Historic VI. num. 8.
(c) Vid. Puffend. lib. VII. de Iure N. & G. cap. IV. §. XIV.
(d) Lib. II. de Consid. cap. VIII.

Principis Apostolorum Successoribus, ut vel ipsi Adversarii fatentur, in omnibus parendum est, quae tamen, ut iidem adjungunt, *clave non errante* praecipiunt, vel ubi feratur *ex Petri aequitate* judicium. At in caussis Ecclesiasticis, ac potissimum in caussis fidei, quae saepe obscuram habent disceptationem, quis judicabit, clavis erraverit necne; vel an Petri Successoris judicium ex Petri aequitate fuerit prolatum? Ut in adlatis exemplis, quae saepe nobis Adversarii ingerunt, Polycrates cum Asiaticis, Cyprianus & Firmilianus cum Africanis & Ponticis, & Johannes Antiochenus cum Orientalibus Episcopis, necnon sub Carolo Magno & Ludovico Pio Ecclesiae Gallicanae Praesules, Victoris adversus Quartodecimanos, Stephani adversus Rebaptizantes, Caelestini adversus Nestorium, & Hadriani I. pro VII. Synodo & cultu SS. Imaginum, decreta sive judicia, non errante clave, & ex Petri aequitate prolata fuisse inficiabantur. Quis ergo ejusmodi controversiis finem imponeret? Synodus, inquis, Oecumenica, vel unanimis Ecclesiae sensus. Itane vero? At quod ad Synodum pertinet, inter Victorem centum circiter ac triginta anni, septuaginta vero inter Stephanum & priorem Synodum Oecumenicam interfluxerunt. Interim vero in Asia, in Africa & in Ponto ii mores obtinebant, quos ab universa Ecclesia esse prorsus eliminandos, Synodus Oecumenica judicavit. Nonne consultius fuisset, Victoris & Stephani judiciis eam inesse auctoritatem, quae litem statim dirimeret, cui nemo innoxie refragaretur, quae omnes Ecclesias iisdem fidei ac disciplinae regulis contineret? Caelestini quidem judicium post breve temporis intervallum Synodus Ephesina probavit. At nemo ignorat, quibus ea Synodus turbis vexata sit. Deinde, Romanis Pontificibus consentientibus, ad unius Imperatoris nutum ex universo terrarum orbe Episcopi olim ad Synodum confluebant. Nunc vero Europa tot inter Reges ac Principes distributa, difficillimum est Oecumenicam Synodum congregari; neque id sane nisi plurium annorum esse opus potest. Interim vero dum Synodus congregetur, prava dogmata radices agent, & latius propagabuntur. Quanto breviori compendio unius Romani Pontificis auctoritate funditus exciderentur! Quod vero ad Ecclesiae consensum attinet; quanta & hic difficultatum seges occurrit! Quum enim refragante insigni aliqua Ecclesiae parte, uti Asiatica, Africana, Orientali, aut Gallicana, aliarum Ecclesiarum cum Romano Pontifice consensus, Adversariorum opinione, pro unanimi Ecclesiae consensu haberi non possit; si error aliquam ex iis Ecclesiis invaserit, frustra sese pravorum dogmatum sectatores & architecti a Romano Pontifice & ab aliis Ecclesiis pro haereticis haberi contendent. Sic frustra Eutychem & Dioscorum S. Leo, frustra Sergium & alios Regiae Urbis Episcopos, S. Martinus aliique Romani Pontifices ob Monothelismum velut haereticos judicassent; quamquam eorum judiciis totius fere orbis Episcopi consentirent. Quid enim [si vera sunt quae de necessitate Conciliorum Adversarii jactant] opus fuisset ad eos velut haereticos judi-

judicandos IV. & VI. Synodo, si antequam illae celebrarentur, Eutyches & Dioscorus, Sergius & alii Monothelitae, pro haereticis habiti fuissent, aut haberi ab omnibus debuissent? Deinde, quum liber esse debeat, ut Adversarii volunt, ejusmodi consensus, & adhibito propriae mentis ac rationis judicio, praestari a singulis Episcopis debeat; vix erit ut in re potissimum obscura, & multis altercationum nebulis implicata, non plures ab Apostolica definitione dissentiant, ac proinde vix erit controversia, quae hac via componi efficaciter possit: contendent enim Refractarii, eam esse quaestionis obscuritatem, ut ad eam terminandam, & in bono lumine collocandam, Synodi congregatione sit opus. Denique, ut quod caput est, & huc maxime pertinet, attingamus, si unicuique Episcopo in excipiendis Apostolicis decretis fas est judicii sui libertate uti, quid fiet Monarchicae Romani Pontificis potestati? Quae est enim Monarchia, in qua vigor legum ex subditorum judicio pendeat, ac derivetur? Quemadmodum ii volunt decretorum fidei robur invictum & immobilem firmitatem ex Episcoporum judicio & cum Romano Pontifice consensione pendere. Quo semel posito, frustra jactatur, Romani Pontificis auctoritatem vinculum esse, quod in eamdem fidem omnes adstringat Ecclesias, aut ejus judiciis universam hanc molem, & singulas ejus partes, velut una mente atque uno spiritu vegetari: quae, ut saepe diximus, regularis Reipublicae forma est. Non enim ideo in unam & eamdem fidem omnes Ecclesiae conspirant, quia sic Romano Pontifici visum est, aut ipse vult, suaque auctoritate decernit: sed ideo una ubique fides obtinet, quia sic omnibus & singulis Episcopis judicio suo & ratione utentibus visum est. Quae magis Aristocratici regiminis forma est, aut systematis, ut vocant, sociorum (a) inaequali foedere nexorum; ideo quod ceteri Episcopi aliaeque totius orbis Ecclesiae comiter colere & reverentia prosequi Romanum Pontificem teneantur, ut qui non modo dignitate & imperii majestate, verum & auctoritate, & quadam potestatis praerogativa ceteris antecellat. Quod tamen, ut omnes facile animadvertunt, quam longissime abest ab ea unitate, qua omnes Ecclesiae partes in unum compingere & colligare corpus Christus instituit: quod adeo longe validiori unius imperii vinculo constringendum fuit.



CA-

(a) Vid. Grot. lib. I. de Jure B. & P. cap. III. §. XXI. & Puffend. lib. de Forma Imp. Germ. cap. VI. §. 9.

CAPUT III.

Ecclesiae traditione probatur, praecipua Majestatis jura, quae in qualibet regulari & bene instituta Republica summo Imperanti summaeve Potestati tribuuntur, Romano Pontifici in Christiana Republica convenire. Unde conficitur, ad verae propriaeque Monarchiae formam Ecclesiam esse constitutam.

Demonstratum in duobus superioribus Capitibus est, eam Rempublicam esse optime ac sapientissime constitutam, & paci ac tranquillitati fovendae maxime aptam & accommodatam, quae unius imperio & auctoritate velut anima una unaque mente gubernetur. Contra vero si mutua quaedam subjectio populum inter ac Regem constituatur, ac summa in ipsum quoque Regem potestas penes populum esse dicatur, irregularem inde Rempublicam emergere, quam & molestissimis conflictari morbis, & gravissimis vexari dissidiis & patere perturbationibus necesse est. Hinc porro confectum est, Christum, quem optimi regiminis formam in Ecclesiam inferre maxime decuit; quique illam unum esse voluit ovile, unam civitatem, imo & unam familiam & unam domum; in eaque summam vigere pacem, & concordiam & unitatem; non modo in ea Monarchicum regimen sive unius principatum instituere debuisse, verum & talem principatum seu Monarchiam, ut penes unum tum in singulos sive omnes singulatim, tum in omnes conjunctim sive in totum simul Christianae Reipublicae corpus, & per singula membra, summa potestas & auctoritas esset. At quoniam Meldensis Episcopus monet (a): „ Non ex proprio „ cerebro vanisque ratiocinationibus „ Christianae Reipublicae formam „ effingendam esse: sed scripturis & „ traditione demonstrandum, Ecclesiasticam Monarchiam, sub Christo praecipuo Monarcha constitutam, „ ad formam Monarchiae saecularis „ penitus institutam esse. Quod, inquit, est falsissimum. Qui etiam, inquam, haec nos Meldensis Episcopus monet, ideo ipsi morem esse gerendum existimavi; ut scilicet Ecclesiasticam Monarchiam, sub Christo praecipuo Monarcha constitutam, ad ipsius Ecclesiae traditionem exigerem. Verum ut omnis aequivocatio tollatur, falsissimum quidem esse fatemur, Ecclesiasticam Monarchiam ad formam Monarchiae saecularis penitus esse institutam, si in Monarchia saeculari dominandi fastus & libido, opum amplitudo, & omnis exterior apparatus, splendor & forma spectetur. At si, in Monarchia saeculari, quod ad vim Principatus pertinet, prae oculis habeatur: quae, ut saepe diximus, in eo posita est, ut unius auctoritate omnes civilis corporis partes tanquam validissimo vinculo contineantur, & universa Respublica tanquam ab una mente regatur: tantum abest ut hac in re alia seu dispar esse debeat a saeculari Ecclesiasticae Monarchiae forma vel ratio, ut haec potius illi praestare atque antecellere debeat: quum pax, ordo, tranquillitas, unitas Christianam Rempublicam magis deceat, quam civilem. Quumque Christus nihil suis impensius com-

(a) Lib. XIII. cap. XV.

commendaverit, quam pacem & unitatem, eam in Ecclesia formam regiminis instituere debuit, quae ad hunc finem obtinendum esset optime comparata. Cujusmodi est imperium vere Monarchicum, in quo penes unum summa totius Reipublicae potestas consistit. Quae proinde Christianae Reipublicae forma non, ut Meldensis Episcopus gratis adfirmat, ex proprio cerebro vanisque ratiocinationibus efficta est, sed ex ipsa Monarchicae potestatis vi, natura, & objecto seu fine elicita atque depromta est. Sed quoniam nos, ut paullo ante dicebat, ad Ecclesiae traditionem Bossuetius provocat, age, traditionem hac de re consulamus.

Profecto autem, vere proprieque penes Romanum Pontificem Monarchica potestas est, a saeculari seu Politica Monarchia, quod ad vim Principatus pertinet, minime dispar; si quae naturam Monarchici principatus vere proprieque constituunt, ac veluti praecipuae illius notae seu characteres habentur, Romano Pontifici, ex Ecclesiae sensu ac traditione, tribuenda sunt. Atqui haec Romano Pontifici, ex constanti Ecclesiae sensu ac traditione, conveniunt, eique in veterum Pontificum, Patrum, & Conciliorum scriptis, qui fontes sunt Ecclesiasticae traditionis, luculentissime tribuuntur. Ergo, quam delineamus Christianae Reipublicae & Ecclesiasticae Monarchiae formam, ea non ex proprio cerebro vanisque ratiocinationibus efficta est, sed ad sacrae doctrinae normam & amussim exacta. Vim & *οὐσίαν* seu naturam Monarchici Principatus in eo primum Politici Scriptores (*a*) reponunt, quod non penes multitudinem, ut in Democratia; non penes Optimates, ut in Aristocratia; sed penes unum summa Reipublicae potestas est. Id porro summum esse definiunt Cicero (*b*), & Aristoteles (*c*), quo nihil in eo ordine datur superius: & Seneca epist. LXXXV. *Quod summum est*, inquit, *adjectionem non recipit: Quid enim supra summum erit?* Ordo autem (*d*) in Republica in gubernando & imperando consistit; ideoque primum in Republica censendum est, quod imperat omnibus & gubernat omnia, ipsum a nemine gubernatur; & hoc ipsum jam summum est, cui si velis opponere aliam potestatem aequalem, efficies ut neutra summa sit. Pone enim populum in Regem, & vice versa hunc in illum habere aequalem potestatem, constat, neutrum pro summo venditari posse, quia imperio superioris subjicitur. Illud ergo in Republica primum & summum est, quod nec superiorem potestatem nec aequalem agnoscit, sed reliquis omnibus Reipublicae membris atque universae Reipublicae dominatur: atque hoc *Majestatem* Politici Scriptores appellant. Nihil porro facilius est, nihil magis obvium, quam Ecclesiae traditione, summam Romano Pontifici in Christiana Republica potestatem adserere ac vindicare. Origines in Cap. VI. Epist. ad

(*a*) Puffendorf. lib. V de J.N. & G. cap. VI. §. 1. & Bodin. lib. II. de Repub. cap. II.
(*b*) Lib II Tusculan. disput. num. XIX.
(*c*) Lib. III. Polit cap. V.
(*d*) Arnis. lib. 1. de Jure Majest. cap. III. num. I.

ad Rom. *Petro*, inquit, *quum summa rerum de pascendis ovibus traderetur &c.* Perinde est, ut alicui in Republica summa rerum, ac summa Reipublicae potestas tribuatur. Est autem Romanus Pontifex, quemadmodum S. Bernardus ait (*a*), *potestate Petrus*. Stephanus Dorensis Episcopus in Libello supplici, quem S. Martino Secret. II. Concilii Lateranensis adversus Monothelitas obtulit (*b*), diserte docet, quod claves Regni Caelorum *Petrus tantummodo Apostolorum princeps* accepit: Quod *primus jussus est pascere oves Catholicae Ecclesiae*: Quod *super omnes potestatem accepit & Sacerdotalem auctoritatem*. Quibus verbis omnia plane conplexus est, quae summam in Republica potestatem constituunt; ut scilicet nihil ante se habeat, quia *primo nihil est prius*; ut imperet omnibus & omnia guberuet; denique ut nemini subjiciatur. Quae omnia diserte in praemissis verbis Apostolorum Principi tribuntur: Primus enim, non modo tempore, verum & potestate & Sacerdotali auctoritate, quam super omnes accepit, jussus est pascere catholicas oves. Vim autem & potestatem clavium, quas *Petrus tantummodo* accepisse tradit, sequentibus verbis celebriores Interpretes exponunt (*c*): „ Traditio clavium symbolum est „ potestatis; Claves SUMMAM, POTESTATEM significant. Huic traduntur „ claves, cui committitur familia „ administranda: cujus potestatis de„ bet esse admittere vel excludere „ domo. Christus ergo quum Petrum adloquens ait: *Tibi dabo claves &c.* perinde est ac si disertius dixisset (*d*): „ Tu deferes clavem Ecclesiae meae, „ regnique caelestis: Tu aperies & „ claudes ac nulli subditus eris mi„ nistro, cui rationem sis redditurus. In Libello Monachorum Graecorum, qui in eodem Secretario perlectus est, laudatus Pontifex Sacerdos Sacerdotum dicitur & Pater Patrum; Sedes autem Apostolica, summa Sedes: *Atque omnibus his praeeminentis, Sacerdotis Sacerdotum, & Patris Patrum, Domini Nostri Martini ter beatissimi Papae .... Hanc Apostolicam & summam expetivimus Sedem*. Quo, inquit, Nat. Alex. [*e*], Graecorum hominum testimonio Sedem Romanam summam Sedem vocantium, & Romanum Pontificem Sacerdotem Sacerdotum & Patrem Patrum, luculentius splendidiusque nihil excogitari potest. Neque hi tamen soli Romanum Pontificem Sedemque Apostolicam his titulis exornarunt; verum & Sergius Cypriensis Episcopus, & Africani Antistites ex tribus Conciliis, in litteris Synodicis ad Theodorum Papam, quae in eadem Lateranensi Synodo recitatae sunt: necnon & Patres sextae Synodi in litteris ad Agathonem post Action. XVIII. *Litteras a vestra paterna Beatitudine ad piissimum Imperatorem missas, ut a summo Apostolorum vertice divina perscriptas* agno-

(*a*) Lib. II. de Consid. cap. VIII.
(*b*) Tom. VII. Concilior. Venet. edit. col. 106. & seqq.
(*c*) Lamy Comment. in Harmon. lib. IV. cap. XVII.
(*d*) Calmet in hunc loc. Matth.
(*e*) Dissert. IV. in Hist. Eccles. saec. I.

agnoscimus. Quibus omnibus praeiverant Patres Concilii Chalcedonensis in Relatione ad S. Leonem (*a*): *Sic & Summitas tua filiis quod decet adimpleat*. Similia passim & apud S. Theodorum Studiten legere est (*b*): *Venit ad eam vox commonitoria velut e caelo missa, ex supremo*, ἐκ τοῦ κορυφαιοτάτου, *ex Romano throno*. (*c*) *Seipsos avulserunt a corpore Christi, & supremo verticali throno, in quo Christus claves posuit fidei*. (*d*) *Non effugerunt, quin a supremo Ecclesiae throno*, ἀπὸ τοῦ κορυφαίου θρόνου τῆς ἐκκλησίας, *arguerentur*. (*e*) *Unimur nos vertici Ecclesiarum Dei*, τῇ κορυφῇ τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ, *Romae, & per eam tribus Patriarchis*. (*f*) *Haec enim suprema est* κορυφαιοτάτη *Ecclesiarum Dei*; (*g*) *cui & potestas summa defertur Synodi Oecumenicae*. Huc etiam facit quod Sanctus Prosper cecinit in Carm. de Ingratis.

> *Sedes Roma Petri, quae pastoralis honore*
> *Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,*
> *Relligione tenet*.

Ut scilicet Roma Christiana propter Sedem Petri sit caput Ecclesiae, quemadmodum Roma gentilis fuerat caput Imperii; ac proinde summam illa in Ecclesia teneat potestatem, quemadmodum haec summam tenuerat in Imperio. A quibus non admodum abludunt quae venerabilis quidam Episcopus Patarenus, apud Liberatum (*h*), Imperatori suggessit. Sylverio enim Romano Pontifice Justiniani jussu apud Pataram exsule, *venit ad Imperatorem, & judicium Dei contestatus est de tantae Sedis Episcopi expulsione; multos esse dicens in hoc mundo Reges, & non esse unum, sicut ille Papa est super Ecclesiam mundi totius*. Quibus verbis Romani Pontificis potestatem super universam Ecclesiam cum Regum super eorum Regna potestate diserte conferebat. Denique, ut alia plurima omittam, huc egregie faciunt, notissima illa S. Irenaei verba (*i*): *Ad hanc enim Ecclesiam* (Romanam scilicet, quam etiam maximam & antiquissimam * vocat) *propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam*. Et illa S. Cypriani (*l*): *Navigare audet & ad Petri Cathedram, & ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est*. Ex quibus, iisque adfinibus aliorum Patrum verbis colligit Petrus de Marca (*m*): „ Communi omnium Ecclesiarum „ consensu fuisse receptum, ut ad „ Cathedram Petri, tanquam in de„ scriptione circulari lineae ad centrum,

(*a*) 3. Par. Conc. Chalcedon. cap. II.
(*b*) Lib. II. epist. LXII.
(*c*) Epist LXIII.
(*d*) Epist. LXVI.
(*e*) Epist. LXXIV.
(*f*) Epist. LXXXVI.
(*g*) Epist. CXXIX.
(*h*) Breviar. cap. XXII.
(*i*) Lib. III. advers. Haeres. cap. III.

* Vix dubito, quin graece scripserit Irenaeus, ἀρχαιοτάτης, quod male verterit Interpres, *antiquissimae*, quum vertendum hic fuisset, *praecipue, principis*. Massuet Dissert. III. in Iren. art IV, num. 31.

(*l*) Epist. LV. ad Cornel.

(*m*) Lib. I. de Conc. Sac. & Imp. cap. II. num. IV.

„ respicerent. Quo nihil sane luculentius adferri potest ad commendandam Cathedrae S. Petri summam in universam Ecclesiam auctoritatem. Id enim in circulo centrum dicitur, in quod omnes & singulae & divisim & conjunctim, ductae a peripheria lineae desinunt, in quo invicem conjunguntur, in quo immote quiescunt, & nisi centrum varietur & alius circu us describatur, ultra procedere nequeunt. Quare & in civili republica is centrum dicitur, principium, fons & origo unitatis, qui Majestatem obtinet & summam in Republica potestatem, & quo nihil prius aut superius esse potest, nisi ipsius Reipublicae constitutio varietur. Quem locum quum Romanus Pontifex in Christiana Republica obtineat, summam esse oportet illius in Ecclesia Catholica potestatem.

Ex hoc primo ac praecipuo summi Principatus charactere alius proxime ac sponte fluit (a), quod Majestas, quum nihil sit illa superius, in judicium vocari non potest, seu nullius judicio & coërcitioni subdita & obnoxia est. Notum illud Marci Antonini apud Dionem (b): *Nemo nisi solus Deus judex Principis esse potest*. Itemque illud Ambrosii (c): *Liberi sunt Reges a vinculis delictorum. Neque enim ullis ad poenam vocantur legibus, tuti imperii majestate*. Denique & illud Gallorum Procerum ad Chilpericum Regem apud Gregorium Turonensem (d): *Si quis de nobis, o Rex, justitiae tramites transcendere voluerit, a te corripi potest; si vero tu excesseris, quis te corripiet? ... Quis te damnabit, nisi is qui se pronuntiavit esse Justitiam?* Ejusmodi praerogativa summorum Principum instar etiam Romanum Pontificem decorari, demonstratum est a me, & ut mihi videtur, luculentissime Tomo superiore, duplici Articulo (e); quorum altero ostendi, quod „ Lex illa totius antiquitatis „ munita suffragio: *Prima Sedes non „ judicatur a quoquam*: a persona „ Pontificis judicanda, non modo „ particulares, verum & generales „ Synodos removet. Altero vero ex „ Hadriano II. & Romana sub illo Sy„ nodo, nec non ex VIII. Synodo Oe„ cumenica demonstravi, Romanum „ Pontificem nisi in caussa haeresis, „ etiam a Conciliis generalibus judicari „ non posse: Eamdem pervulgatam „ olim fuisse inter Gallos opinionem: „ Denique id juris & ejusmodi Roma„ nae Sedis privilegium ex divino „ jure descendere. Quae quum ibi probata sint a me plenissime & apertissime, Lectorem ad ea loca remitto. Ac praeter Thomassinum praeclare de hoc argumento differentem (f), videri etiam potest Illustrissimus Petrus de Marca toto capite XI. libri I. de Conc. Sac. & Imp. quod his verbis auspicatur: „ Principem „ legibus solutum esse, ut etsi in „ leges impingat, poenis legum coër„ ceri

(a) Puffend. lib. VII. de Jur. N. & G. cap. VI. §. II. & Arnis. de Jure Majest lib. I. cap. III n. 5. Hobbes de Cive sect. II. cap. VI. n. XII.

(b) In excerpt. Xiphilini.

(c) In Apolog. David. cap IV.

(d) Lib. V. Hist. Franc. capite XVII.

(e) A! Lib XV. Defens. cap. XX. & XXI.

(f) Differt. XV. in Concilia Rom. sub Symmacho.

" ceri non possit, communis est " Theologorum & Jurisconsultorum " sententia; ita ut subditi, qui de " Principis statu aliquid decernere " sibi liberum esse putaverint, lege " Julia majestatis teneantur. In hunc " quoque dignitatis gradum adscitum " esse Romanum Pontificem, Gal- " liarum Reges & Episcopi una " cum ceteris saepissime censuerunt.

Ex quo autem potestas Principis summa est, seu *summo cum imperio* (a) conjuncta est, consequens est, (b) eam humanis legibus non teneri. Nam leges (c) sunt scita superioris potentiae, quibus in officio continentur, qui sua sponte officium facere recusant. Qua de caussa Seneca vocat legem *virtutem armatam*, id discriminis ponens inter virtutem & legem, quod illa ad honestatem hortatur, haec vero etiam cogit. Hanc porro vim oportet legem sortiri a superiore potestate: nihil autem in Republica Majestate superius est. Nullius ergo legibus vinciri potest. Id quod etiam Budaeus confirmat (d) analogia, quae inter Regem & subditos, patrem & liberos, dominum & familiam intercedit. Nam qua ratione liberis in patrem, & familiae in dominum, jubendi quidquam aut vetandi nulla potestas est: ita & Regem aut summum Imperantem extra jus esse decet, quo subditi utuntur. Non esse aliam hac in re a summorum Imperantium Romani Pontificis conditionem, praeclare ea probant Ennodii Ticinensis verba in Libello Apologetico, quem in V. Romana Synodo lectum Patres adprobarunt, & vim Decreti seu Canonis habere voluerunt: *Dico, latorem juris definitionis suae, nisi velit, terminis non includi. Et nisi Princeps fastigii summa moderetur, frustra ad illud quod dederit jus vocatur.* Et ne quis existimet, suis tantum id est Pontificiis, non autem Synodorum legibus Romanum Pontificem non teneri, statim subjungit: *Aliorum forte hominum caussas Deus voluerit per homines terminare: Sedis istius Praesulem suo sine quaestione reservavit arbitrio. Voluit Beati Petri Apostoli Successores caelo tantum debere innocentiam &c.* Qui ergo nullum praeter Deum superiorem agnoscit, non modo suis, verum nec Synodorum legibus obnoxius est. Potissimum quum & ipsa Conciliorum decreta, ut alibi late probavi (e), vim legum obtinere non possint, nisi a Romano Pontifice confirmentur. Quamobrem ea Ennodii verba Cl. Thomassinus expendens (f): Quum " nulla, inquit, rata sit & germana " Synodus, nisi a Romano Praesu- " le convocetur confirmeturque: qua " demum in Synodo legitime in ip- " sum inquiretur? An mendicata " enim ab ipso authoritas in ipsum- " met retorquebitur? An per Syno- " dum a se collectam & authora- " tam

(a) Grot. lib. II. de Jure B. & P. cap. IV. §. XII
(b) Puffend. lib. VII. de Jure N. & G. cap. VI. §. III.
(c) Arnif. de Jure Majest. lib. I. cap. III. num. 6.
(d) In Leg. *Princeps*.
(e) Ad lib. XIII. Defens. cap. VIII. art. unic.
(f) Dissert. XV. in Concilia Rom. sub Sym. num. IV.

„ tam judex ipse erit idem qui re„ us ? Quae leges Ecclesiasticae, „ qui Canones depromentur in di„ sceptanda Romani Praesulis cau„ sa, cum cassi & inutiles sint, nisi „ ab ipso sanciantur vel confirmen„ tur ? At frustra Princeps ad illud „ quod dedit jus vocatur: nec lator „ legis lege constringitur nisi volens „ lubensque. Neque minus convenit quadratque in Romanum Pontificem, atque in alios summos Principes, Budaei ratio. Nam paullo superius vidimus totius orbis Episcopos in Chalcedonensi Synodo congregatos, ad S. Leonem velut ad Patrem filios supplices dirigere litteras: *Summitas tua filiis quod decet adimpleat*. Ipsi etiam, uti pariter superius animadvertimus, *totius ovilis cura*, tanquam summo Pastori, *commissa est*. Non est autem filiorum aut ovium, patrem aut pastorem vocare ad officium jubendo & vetando: Quod, auctore Lactantio (*a*), legum munus & officium est: *Est quidem vera lex recta ratio .... quae vocet ad officium jubendo; vetando a fraude deterreat*.

In his ergo tribus de quibus jam disputatum est, vis, atque ut ita dicam, *essentia* vel *οὐσία* Majestatis posita est; quae autem sequuntur, ejusdem majestatis veluti quaedam affectiones & facultates sunt (*b*), veluti facultas Legislativa, coactiva, & judiciaria, facultas instituendi Magistratus, Regni comitia celebrandi &c. quae Politicis majora majestatis jura dicuntur (*c*): de quibus jam nobis pauca singillatim dicenda sunt, ut ea etiam Romano Pontifici competere demonstremus. In potestate ferendi leges consistere supremum maximumque gradum meri imperii, Politici & Jurisconsulti merito & jure docent (*d*). Legibus enim tanquam communi praecepto praescribitur subditis quid cuique faciendum vel omittendum; quid fieri debeat in Republica quid vetari; quis ordo, quod officium sit Magistratuum; quid debeat subditi suo principi; quis tenor pacis bellive &c. Quae omnia quum contineant fundamentum totius Reipublicae, in ejus manu collocari debent, in quo & ipsa Respublica collocata est. Hanc autem Majestatem esse, ex Reipublicae definitione patet. Respublica enim est ordo, in quo Majestas dominatur subditis. Penes quem igitur est dominium, penes eumdem esse debent exercendae dominationis instrumenta, cujusmodi sunt leges. (*e*) Quum enim Respublica sit velut unum corpus morale, quod una regi voluntate concipimus; propterea quod unusquisque civium in his quae ad commune bonum felicitatemque respiciunt, suam ei voluntatem subjecit, in quem omnes communi consensione summam auctoritatem contulerunt, sive ille una reapse persona sit, sive populi vel opti-

(*a*) Lib. VI. Div. Instit. cap. VIII.
(*b*) Grot. lib. I. de Jure B. & P. cap. III. §. XVIII. Puffend. de Jure N. & Gent. lib. VII. cap. IV §. I.
(*c*) Arnis. Lib. II. de Jure Majest. cap. I. num. VIII.
(*d*) Vid. Arnis. ibid. cap. III. num. I. & seqq.
(*e*) Puffend. ubi sup. §. II.

optimatum coetus; idcirco hunc primum oportet ad suam subjectis populis voluntatem manifestandam certa quaedam & idonea constituere signa, inter quae principem locum obtinent leges: quae sunt generales quaedam Exaeque ac perpetuae regulae, ad quas omnes respicere, suasque exigere actiones debent. Quum ergo Christus Ecclesiam velut unam civitatem, imo & unum corpus, ut in sacris litteris diserte traditur, instituerit; & unitatis ejus originem, fontem & radicem, ac praevalidum vinculum Romanum esse Pontificem destinarit; consequens est, ut eum quoque summa ferendarum legum potestate instruxerit: quam qui illi abrogaverit, frustra eum Ecclesiasticae unitatis centrum esse & originem pronuntiabit. Quam haec inter se apta & connexa sint, observavit etiam Illustrissimus Petrus de Marca lib. I. de Conc. Sac. & Imp. ubi postquam latissime & per plura capita demonstravit, originem communionis & unitatis esse in Ecclesia Romana; capite VIII. & seq. de Romani Pontificis in condendis legibus Ecclesiasticis auctoritate disserit, caputque illud VIII. his verbis auspicatur. „ A communionis cum „ Romana Ecclesia necessitate ad eam „ auctoritatē inspiciendam accedamus, „ qua per Gallias, ac per universas „ potissimum Occidentis, ac etiam „ aliquando per Orientis provincias, „ non reluctantibus Episcopis aut „ Imperatoribus, potita est. Hoc „ in tribus articulis praecipue versa„ tur, qui summae jurisdictioni com„ petere solent; nempe in legibus „ ferendis, in judiciis fine provoca„ tione reddendis, & in ea dignitate „ Principis, ut a nemine judicetur. Primum autem illud condendarum legum in negotiis Ecclesiasticis privilegium; quibus nimirum, ut idem capite nono subjungit, *fides & disciplina constitutae sunt*; ejusmodi, inquam, privilegium, seu potius praerogativam & potestatem Illustrissimus Auctor Romano Pontifici primum vindicat celebri Valentiniani III. Constitutione, qua nihil ad rem nostram praeclarius aut illustrius desiderari potest. Quum enim Hilarius Arelatensis Episcopus Metropolitica dignitate, cognitione Leonis I. summi Pontificis in Concilio Romano habita, dejectus esset anno CCCCXLV. eam sententiam Valentiniani Imperatoris Rescripto muniri, ut illius exsecutio nulla cavillatione impediretur, S. Leo facile impetravit. Sed illius Constitutionis expendenda sunt verba, quae, inquit laudatus Auctor, Novatoribus hujus saeculi sanguinem suffundere possunt: *Quum igitur Sedis Apostolicae primatum, Beati Petri meritum, qui est Princeps Sacerdotalis coronae, & Romanae dignitas civitatis, sacrae etiam Synodi firmarit auctoritas*. Ex eo scilicet primatu, ex eo Petri Apostoli principatu, comparat argumentum, quo fulciantur ea, quae deinceps statuit de jure ferendarum legum his verbis: *Verum ne levis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur; hoc perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum provinciarum, contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis*

lis Papae Urbis aeternae tentare: sed illis omnibusque pro lege sit quidquid sanxit vel sanxerit Apostolicae Sedis auctoritas. Ex quo ergo Petri Apostoli Successores principes sunt Sacerdotalis coronae, & hujus coronae seu circuli veluti centrum habeantur, eorum est omnium Ecclesiarum unitatem continere, ac providere ne ulla inter Ecclesias turba nascatur. Quod irrito conatu ut plurimum illi tentarent, nisi omnibus pro lege habendum esset quidquid pro Ecclesiarum pace Sedis Apostolicae decernat auctoritas. Nolim tamen, subjungit Petrus de Marca, quod e Valentiniano protuli, eo sensu accipi, ac si tum primum legis ferendae auctoritas Sedi Apostolicae a Principe collata esset, quum tantum eo Rescripto fota sit & confirmata. Etenim ante hujus Constitutionis promulgationem decreta quaedam generalia a Romanis Pontificibus edebantur, quae missa per provincias, disciplinae Ecclesiasticae ordinem ubique sancirent. Quod statim probat illustribus ac praeclaris Liberii, Siricii, Innocentii, Zosimi & Caelestini Romanorum Pontificum testimoniis: ex quibus hanc summam colligit: In eo vigere Sedis Apostolicae auctoritatem „ quod Decreta „ illa generalia sint, & per provin„ cias mittantur, ad exemplum Edi„ ctorum & principalium Constitutio„ num, nec circumscripta sint fini„ bus Romanae Dioeceseos, ut ce„ terorum Patriarcharum Decreta, „ quae suis cujusque Dioecesibus con„ tinentur.

Frustra autem essent leges, aut eas condendi potestate Princeps incassum instructus esset, nisi ad earum observantiam poenarum inflictione cogere subditos posset (a). Nam quotidiano rerum humanarum experimento compertum est, homines neque foederum aut pactorum sanctitate, neque ea lege, quae inscripta cordibus est, satis ut plurimum in officio contineri. Qui ergo aliter allici & induci efficaciter possent homines, cum ad communes juris naturalis, tum ad speciales cujuslibet Reipublicae leges servandas, nisi penes Principem esset & aequas peccatis poenas constituere, & eas etiam peccantibus irrogare? Quum ergo Romanus Pontifex potestate ferendi leges pro Christianae Reipublicae bono praeditus sit; profecto necesse est, ut ad earum exsecutionem poenarum metu hujusce Reipublicae cives compellere jure possit: alioquin frustra illi Legislatoris titulus tribueretur. Ejusmodi in Romano Pontifice potestatem S. Cyprianus agnovit in suis ad Stephanum litteris, quibus eum monuit, ut Marcianum Arelatensem Episcopum, qui se Novatiani partibus adjunxerat, & pacem unitatemque Ecclesiasticam violaverat, auctoritate sua comprimeret, eoque in ordinem redacto ac sede dejecto, alium in ejus locum ordinandum decerneret. Qua de re hic rursus aliqua ex Illustrissimo Petro de Marca (b) adtexere atque observare libet: Licet enim, inquit, in consilium deponendi Marciani Cyprianus una cum collegio ceterorum Episcoporum

(a) Puffend. de Jure N. & G. lib. VII. cap. IV. §. III.
(b) Lib. I. de Conc. Sac. & Imp. cap. X. num. VIII.

porum consentiat; tamen quia Romanam Ecclesiam, & Petri cathedram, & principalem esse profitebatur, unde unitas Sacerdotalis exorta sit, τὸ κῦρος rei judicatae, & summam illam pronuntiandi auctoritatem in eam Ecclesiam confert in re communi, quae unitatem respiciebat, & de qua Relatio ad eam missa fuerat: *Quapropter*, inquit Cyprianus Stephanum Papam adloquens (a): *facere te oportet plenissimas litteras ad Coëpiscopos nostros in Gallis constitutos, ne inimicum Collegio nostro insultare patiantur*. Sed illustriora sunt verba quae sequuntur; quibus decernendi & pronuntiandi de re proposita, juxta sententiam Gallicanorum & Africanorum Episcoporum, potestas Romanae Ecclesiae asseritur, eique plenissima executionis cura demandatur: *Dirigantur in provinciam, & ad plebem Arelate consistentem a te litterae; quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur*. Nulla, inquit Illustrissimus Auctor, industria Novatores hoc testimonium Cypriani elevare possunt. Futilis est enim illa responsio, non deponi a Stephano Marcianum, sed deponendum declarari. Quinimo conceptis verbis Cyprianus exigit a Stephano, ut suis litteris Marcianum damnet, atque adeo alium substituendum decernat. Eadem potestate usus est & S. Caelestinus in Nestorio Regiae urbis Episcopatu dejiciendo. Qua etiam de re eumdem Illustrissimum Praesulem disserentem inducere & audire libet: Cum, inquit (b), Cyrillus Alex. Nestorium crebrioribus litteris ad saniorem mentem hortatus esset, perfidia haeretici illius in dies erumpente, rem omnem ad Caelestiuum, *ex more Ecclesiarum*, retulit.; ut ipse tanto morbo, qui in Ecclesia grassabatur, pro dignitate loci sui mederetur. Hoc testatur ipse Cyrillus Caelestino (c): *Longa Ecclesiarum consuetudo suadet, ut ejusmodi res Sanctitati tuae communicentur*. Relatione facta, Caelestinus Synodo Romae coacta, non solum de fidei capitibus decernit, sed etiam ipsum Nestorium haereseos auctorem a communione sua & ab Ecclesia Constantinopolitana dejicit, nisi intra decem dies nefariam doctrinam conceptis verbis anathematizet; & Cyrillo dat in mandatis, ut Romanae Sedis auctoritate adscita, & Caelestini *vice & loco cum potestate usus*, sententiam illam exsequatur, & illi Ecclesiae prospiciat. Hoc Caelestini judicium probatum est a Concilio Ephesino; quod damnationis sententiam in Nestorium trinis litteris evocatum ad Synodum, & judicio se sistere recusantem protulit quidem; sed ad eam sententiam ferendam coactos se fatentur Patres & a sacris Canonibus, [scilicet ob contumaciam Nestorii, quae Canonibus plectitur] & ab epistola sanctissimi Episcopi Caelestini, qui Nestorium Sacerdotio privarat ad Relationem Cyrilli. Plura hic addere non est opus, ut haec quoque summae Potestatis seu Majestatis pars & affectio, scilicet facultas contumaces & rebelles poenis coërcendi & in officio continendi, Romano Pontifici vindicetur. Ut legis

(a) Epist. LXVII. ad Steph. Papam.
(b) Ubi supra num. IV.
(c) L. Par. Conc. Ephes. cap. XIV.

Ut legis ferendae jus, (& hic etiam Illustrissimi Petri de Marca verbis (a) utor) ita & ultima judicia penes Imperatores olim fuere; qui aut ipsi congnitionem suscipiebant, aut concessa jurisdictione Praefectis praetorio, vel ceteris Magistratibus, vice sacra judicandi potestatem praebebant, appellandi ab eorum sententiis facultate interdicta. Nunc inspiciendum est, an Romani Pontificis judicia nulli essent appellationi obnoxia, & in eo conferri possent cum cognitionibus Principis. Judicia autem illa exercebantur, aut ratione habita eorum negotiorum, quae ad provinciam Romanae Metropoleos pertinebant, aut eorum quae in ceteris provinciis oriebantur. Utroque casu, ab ipsius Ecclesiae cunabulis, Pontifices suprema & principali in judiciis reddendis auctoritate viguerunt. Verissimam esse Illustrissimi Praesulis sententiam, innumera veteris aevi Acta testantur: quibus, quum passim occurrant & obvia sint, hoc loco inculcandis supersedendum existimavi; satis esse judicans, unum hic aut alterum S. Gelasii testimonium exhibere, quo res plane & aperte conficitur. Primum exstat epist. IV. seu Commonitorio ad Faustum, ubi inter cetera haec habet: *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus Sedis examen voluere deferri: ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam praeceperunt judicio judicari; sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius decreta sequenda mandarunt.* Alterum exstat epist. XIII. ad Episcopos Dardaniae: *Non reticemus autem, quod cuncta per mundum novit Ecclesia: quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes Beati Petri Apostoli jus habeat resolvendi; utpote quae de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Quae non modo de judiciis ab Episcopis aut Synodis particularibus, verum etiam Conciliis Oecumenicis latis esse intelligenda, alius ejusdem Pontificis locus demonstrat in Epistola seu Tomo de Anathemate, his verbis: *Totum in Sedis Apostolicae positum est potestate. Ita quod firmavit in Synodo* (Chalcedonensi) *Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem.* Profecto qui pro sua auctoritate, vel, ut in alia epistola scribit, *pro suo principatu*, Concilii generalis judicia seu decreta firmat aut rescindit; is non modo singulorum Episcoporum aut particularium Synodorum, verum & generalium Conciliorum judicia retractat, & ab ejus judiciis non modo ad particulares, verum & ad Oecumenicas Synodos appellare non licet. Haec porro extrema provocatio inter jura Majestatis a Jurisconsultis enumeratur (b) quae ab alienari nefas sit, in eaque veluti formam & substantialem essentiam Majestatis regiae constituunt.

Cum praecedente intime cohaeret, & in-

(a) Lib. I. de Concord. sac. & Imp. cap. X. num. I.

(b) Vid. Arnis. lib. II. de Jure Majest. cap. IV. num. 3.

& indivulse conjunctum est alterum summae potestatis seu Majestatis jus, quod in constituendis Magistratibus positum est; quemadmodum sequentibus verbis Arnisaeus observat (a): Venio ad secundum caput jurium Majestatis, quod Poëta hoc versiculo insinuavit 6. Aen.

Tu regere imperio populos Romane memento.

Illud enim imperium, quo populi reguntur, pro secunda parte Majestatis ponimus: quam omnium optime complexus est Valerius Publicola duabus primis legibus, quibus Florus lib. I. cap. IX. maxime auctam liberi populi majestatem testatur: quarum altera extremam provocationem Populo vindicavit; altera vero cavit, ne quis Romae Magistratum gereret, nisi a populo eum accepisset; capitali statuta poena in eum, qui contra fecisset, & proposita impunitate ei, qui ipsum occidisset. Duo igitur his legibus complexus est; jus extremae provocationis, & creationem Magistratuum: quae duo licet alii pro distinctis juribus recenseant, ab uno tamen principio emanant, & se mutuo subsequuntur. Magistratum enim creare, non est eligere aut nominare aliquem, cui Magistratum commendatum velimus, sed & eidem vim, potestatem, jurisdictionem, in quibus consistit officium & natura Magistratus, attribuere. Majestas enim ita eligit, ut simul potestatem & imperium communicet; ideoque Magistratuum creatio praesupponit in creante summam jurisdictionem, eamque propriam: quia nemo potest mandare alteri, quod ipse non habet. Subjungitque idem Auctor num. 15. non aliter salvam esse posse Rempublicam, quam si omnis jurisdictio sit penes unam Majestatem, & ab ea non tantum in omnes Magistratus, sed & reliquos Principes & civitates inferiores promanet. (b) *Eam enim esse conditionem imperandi, ut non aliter constet ratio, quam si uni reddatur.* Quanquam ergo aliarum per orbem provinciarum & civitatum Episcopi, haud meri Magistratus aut Pontificis maximi Vicarii (c), sed veri Principes sint, qui provinciam vel civitatem suam, non tanquam alienam, sed ut propriam moderentur; attamen Christianae Reipublicae salus id exiget, ut in eos etiam a Romani Pontificis majestate omnis potestas & jurisdictio promanet. Id certe palam significare videntur Patres, quorum testimonia protuli ad lib. XIII. Defensionis cap. XI. & seqq. ex quibus hic tantum Innocentii I. verba refricabo ex eius ad Synodos Carthaginensem & Milevitanam epistolis, quod eis diserte doceat, quod quemadmodum in civili Republica duo illa Majestatis jura, scilicet extremae provocationis & creandorum Magistratuum, sibi cohaerent, & unum ex altero sequitur: ita in Romano Pontifice utraque potestas seu praerogativa conjungitur; unaque ex altera derivatur, scilicet & ut ad eum sit ultima provocatio, atque ut ipse fons sit & origo Ecclesia-

(a) Ibid. num. I.
(b) Tacit. lib. I. Annal. in princ.
(c) Bellarm. lib. I. de Romano Pontif cap. III.

clesiasticae jurisdictionis. In epistola enim ad Concilium Carthaginense Patres Africanos Innocentius commendat, quod suum de Pelagianis judicium ad Sedem Petri retulissent: *Scientes*, inquit, *quid Apostolicae*, hoc est Petri Apostoli, *Sedi debeatur*, *a quo ipse Episcopatus*, *& tota auctoritas nominis hujus emersit*. Et paucis interpositis subjungit, quod Patres *non humana*, *sed divina decrevere sententia*; *ut quidquid quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur*, *non prius ducerent finiendum*, *nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret*, *ut tota hujus auctoritate justa quae fuerit pronuntiatio firmaretur*: *indeque sumerent ceterae Ecclesiae* (*veluti de natali suo fonte aquae cunctae procederent*, *& per diversas totius mundi regiones puri capitis incorruptae manarent*,) *quid praeciperent*, *quos abluerent*, *quos velunt in coeno inemundabili sordidatos*, *mundis digna corporibus unda vitaret*. Quorum profecto verborum, ut alibi adnotavi, obvius hic sensus est: Petrum ac Petri sedem fontem esse, principium & originem Episcopalis auctoritatis; ac propterea ad Sedem Apostolicam, velut ad suum fontem aquae recurrerent, referenda esse ex omnibus Christiani orbis regionibus Episcoporum de fidei rebus judicia, ut nativae reddita puritati sine ullius erroris admixtione perfluant; indeque velut ex natali fonte, novis aucta viribus & pondere auctoritatis, non jam uni vel alteri regioni saluti sint, sed orbem irrigent universum. Addit enim S. Pontifex: *Et quum pro illis curam geritis quibus praesidetis Ecclesiis*, *sollicitudinem vestram pro omnium utilitate monstratis*: *& per cunctas totius orbis Ecclesias quod omnibus prosit decernendum esse*, *una deposcitis*. Et in alia epistola ad Concilium Milevitanum: *Quoties fidei ratio ventilatur*, *arbitror*, *omnes fratres & Coëpiscopos nostros*, *non nisi ad Petrum*, *id est*, *sui nominis & honoris auctorem*, *referre debere*, *velut nunc retulit vestra dilectio*, *quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in communi prodesse*. Vis argumenti omnino postulat, ut Episcopalis auctoritas aut a Petri Sede velut a causa efficiente dimanet, aut ab ipsa ita pendeat, ut nisi illi conjuncta subsistere non possit, quemadmodum si a fonte rivuli disjungantur; ac propterea ut nulla in Ecclesia auctoritas sit, quae vel non a Romano Pontifice proficiscatur, vel non illi omnino subjecta sit. Videsis quae loco superius citato latius per plura capita & ad lib. IX. cap. VI. art. I. de hoc argumento disputata sunt.

Denique ad majora Majestatis jura, quae huc facere possint, jus quoque pertinet Comitiorum. Quod tamen, ut Arnisaeus adnotat (*a*), ad Majestatem tunc proprie, pertinet, quando ita uni competit, ut nefas sit reliquis, eo non indicente, consilii capiendi gratia, convenire. Quomodo Latinis quibusdam populis pax data, *communibus tamen commerciis & consiliis inter se ademtis*. Liv. lib. VIII. Nec immerito Thucydides [*b*] libertatem sociorum Atheniensium in eo collocat, non tantum quod suis legibus vixerint, sed etiam quod conven-

(*a*) Arnis. lib II de Jure Majest. cap. IV. num. 16. & seq.
(*b*) Lib. I. Bel. Peloponnes.

ventus & conciliabula sua libera habuerint. Quum enim in Comitiis plurimum momenti sit, sive ad evertendam, sive ad mutandam, sive ad conservandam Rempublicam, imo quum sint Reipublicae fundamentum, non possunt aliis nisi soli majestati tribui: quippe in cujus tanquam naucleri manu, non tantum navem, sed & gubernacula omnia esse oportet; totam alias navim pessumdatura, si contra nutum naucleri huc vel illuc a quovis dirigi possint. Quapropter Romulus, licet multa alia Senatui & populo concessisset majestatem redolentia, populum tamen convocandi, Senatumque cogendi potestatem sibi tantum reservavit (a). Id quod & omnibus Monarchiis commune esse debet. Quum ergo Ecclesiae regimen Monarchicum sit, commune id etiam cum ceteris Monarchiis habere debet Ecclesia, ut generalia veluti Christiani orbis Comitia, seu Concilia Oecumenica, nonnisi Romano Pontifice indicente & auctorante celebrentur; cui nimirum, ut ait S. Theodorus Studites (b), *summa Synodi Oecumenicae potestas defertur*. Quamobrem Actione prima Concilii Chalcedonensis Dioscorus secundae Sedis Episcopus inter reos hac potissimum ratione constitutus est: ***quod quum personam judicandi non haberet, praesumsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae. Quod nunquam licuit, nunquam factum est.*** Vid. quae supra ad lib. X. cap. I. art. I. dicta sunt.

Desinent ergo, ut puto, Adversarii nobis ingerere, quod Ecclesiasticae Monarchiae formam non ex Scripturis & traditione demonstramus, sed ex proprio cerebro vanisque ratiocinationibus nobis confingimus. Vidimus enim, & perspicuis disertisque veterum Pontificum, Conciliorum & Patrum testimoniis plane aperteque demonstravimus, omnia, aut saltem praecipua & majora majestatis jura, quae vel ad ejus substantiam & naturam pertinent, aut ejus individuae proprietates & adfectiones sunt, Romano Pontifici esse tribuenda: adeoque nulla omnino ratio est, cur ejus in Ecclesia Monarchiam ad formam Monarchiae saecularis, quod ad vim & *ἰδίαν* Monarchici Principatus pertinet, penitus institutam esse, dicere & adfirmare vereamur.

CAPUT IV.

Romanorum Pontificum imperium non adeo summum non est & ἀνυπεύθυνον, nec eorum potestas Conciliorum generalium auctoritate deterior habenda est; propterea quod boni sanctique Pontifices, se se ad Canonum legumque praescriptum Ecclesiam Dei recturos, profiteantur.

NAt. Alex. *de suprema*, ut ait (c), *Conciliorum generalium* adversus Bellarminum & Auctorem anonymum [Antonium Charlas] *auctoritate* differens, aliam, non secus ac Bossuetius, esse contendit Ecclesiasticae, aliam saecularis Monarchiae rationem: „ Neque ex Politico regi-

 „ mine

(a) Dionys. Halicarn. lib II.
(b) Lib. II. epist. CXXIX.
(c) Dissert. IV. in Hist. Eccles. saec. XV. & XVI. art. I. §. V. edit. Paris. an. 1686.

„ mine ac Regali trahendam esse ad „ Ecclesiasticum regimen consequen- „ tiam, cum alia sit utriusque for- „ ma; ac Regia & Pontificia pote- „ stas proprium habeant ac diversum „ regendi modum ex institutione di- „ vina. Quod ille generatim probat sequentibus veterum Patrum testimoniis: S. Johannis Chrysostomi Hom. LXVI. in caput XXVI. S. Matthaei: *Non externis similia nostra sunt. Nam apud Gentes, qui Principes sunt, ipsi dominantur; apud nos autem, qui ultimus est, ipse summa tenet.* Sancti Hieronymi epistola XXX. ad Oceanum: *Aliae sunt leges Caesarum, aliae Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit.* S. Augustini epistola CLX. ad Apringium judicem: *Alia causa est Provinciae, alia Ecclesiae. Illius terribiliter gerenda est administratio; hujus clementer commendanda est mansuetudo.* S. Leonis epistola LIV. seu LXXVIII. Quesnelianae Edit. ad Marcianum Augustum: *Alia ratio est rerum saecularium, alia divinarum.* Apollinaris Sidonii lib. IV. epistola XIV. ad Polemium: *Noveris, non ut est apud Praesulem Fori, sic esse apud Judicem mundi.* Gelasii I. in Epistola ad Anastasium Imperatorem, & Nicolai I. in Epistola VIII. ad Michaëlem pariter Imperatorem verba praetereo, quod ea nihil ad rem pertinere, nimium exploratum sit. Discrimen autem inter Ecclesiasticam & saecularem Monarchiam in eo speciatim laudatus Auctor constituit: „ Quod Regni Ex. „ Gr. Gallici regimen sit penitus Mo- „ narchicum; in eoque unius Regis „ auctoritate ac voluntate cuncta ge- „ rantur, sanciantur ac decernantur: „ Ecclesiae autem regimen non sit „ mere Monarchicum, sed Aristocra- „ tia temperatum; nec absoluta au- „ ctoritate vel proprio motu, sed „ canone regatur Ecclesia. Producitque in hujusce sententiae confirmationem sequentia Romanorum Pontificum testimonia: Celestini I. in epistola ad Episcopos Illyrici: *Dominentur nobis regulae, non regulis dominemur; simus subjecti canonibus, cum Canonum praecepta servamus.* S. Leonis epistola ad Episcopos Caesariensis Mauritaniae: *Quam diligens & quam prudens habenda est dispensatio divinorum munerum & caelestium dignitatum, ne in aliquo Apostolica & canonica Decreta violentur, & his Ecclesia Domini regenda credatur.* Gelasii I. epistola ad Episcopos Lucaniae scribentis: *Necessaria rerum dispensatione constringimur, & Apostolicae Sedis moderamine convenimur, sic Canonum Paternorum decreta librare, & retro Praesulum Decessorumque nostrorum praecepta metiri; ut quae praesentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum fieri potest, temperemus: quo nec in totum formam veterum videamur excedere regularum.* Hormisdae in Indiculo dato Ennodio & Fortunato Constantinopolim Legatis: *Canones solvere, in religionem committere est.* Agapeti ad Caesarium Arelatensem Episcopum scribentis: *In nullo contra priscae definitionis constituta vel regulas pro qualibet occasione, vel sub cujuscunque personae respectu, venire praesumimus ..... Divini consideratione judicii necesse nobis est, quidquid Synodalis decrevit auctoritas, inviolabi-*

tabiliter custodire. S. Gregorii Magni lib. II. epistola VII. ad Johannem Larissaeum Episcopum scribentis: *Haec consona sanctis Patribus definitione sancimus, ut qui sacris nescit obedire Canonibus, nec sacris administrare, nec communionem capere sit dignus altaribus*. Silvestri II. in epistola ad Seguinum Senonensem Archiepiscopum: *Sit lex communis Ecclesiae Catholicae, Evangelium, Apostoli, Prophetae, Canones Spiritu Dei constituti, & totius mundi reverentia consecrati, & Sedis Apostolicae Decreta ab his non discordantia*. B. Gregorii VII. epistola LVIII. lib. II. ad Manassen Archiepiscopum Remensem scribentis: *Ecclesiasticas causas, non potentiae magnitudine, sed justitiae censura, finire oportet*. Et lib. V. epistola V. ad Clerum & Populum Aquilejensem: *Nihil novi, nihil nostris adinventionibus superinducere conamur, sed illud solummodo quaerimus, quod & omnium salus postulat & necessitas, ut Evangelica & canonica servetur auctoritas. Non secundum arbitrium nostrum, sed per viam & doctrinam Orthodoxorum Patrum incedere cupimus*. Eugenii III. epistola X. ad Arnaldum Coloniensium Archiepiscopum scribentis: *Apostolica providentia, secundum sacrorum Canonum institutiones, universas regit Ecclesias*. Denique Innocentii III. epistola CXV. libri II. ad Cantuariensem Archiepiscopum scribentis: *Quae in derogationem sanctorum Canonum attententur, tanto potius infringi volumus & carere robore firmitatis, quanto auctoritas universalis Ecclesiae, cui praesidemus, ad id nos provocat & inducit*.

Sed haec quam nullo emolumento atque operae pretio ab Adversariis objiciantur, facile intelliget, quisquis animadveterit, quod non minore ferme religione ipsi quoque Reges summique Principes sese ad Reipublicae leges adstrictos esse, identidem professi sunt. Hinc notissimum illud ac celebre effatum (a): *Digna vox est majestate Regnantis, legibus alligatum se profiteri*. Cui plane consonum est illud Alexandri Imperatoris (b): *Nihil tam proprium Imperii est, quam legibus vivere*. Ita Antiochus III. ad Civitates & Praesides Asiae scribere solebat [c]: *Si quid contrarium legibus per Epistolam jussero, nolite parere, sed me ignoratione lapsum putetis*. Quod Nicephorus [d] etiam Tiberio Orientis Imperatori adscribit. Quum Trajanus Praefectum praetorio ense cingeret: *Hunc*, inquit [e], *gladium, si juste imperavero, pro me; si autem male, contra me stringito*. Et in Rostris quum juramentum conceptis verbis populo praestaret, legibus quoque se subjecit. Quod illi merito Plinius in Panegyrico laudi vertit his verbis (f): *In rostris simili religione ipse te legibus subjecisti, legibus Caesar, quas nemo Principi scripsit*. Anastasius Imperator prohibuit [g], *in disceptatione cujus libet*

(a) L. *Digna vox*. C. de leg. & Const.
(b) L. *Ex imperfect* C. de Testam.
(c) Plutarch. in Apopht.
(d) Lib. I. cap. XVII.
(e) Dion in Trajan.
(f) Cap. XLV. num. VI.
(g) L. fin. C. *si contra jus vel util.*

libet litigii proferri ullum Rescriptum, ullam Pragmaticam sanctionem, ullam sacram adnotationem, quae generali juri vel utilitati publicae adversa esse videatur. Apud Persas, inquit Grotius [a], Rex summo cum imperio erat, *αὐτοκράτης καὶ ἀνυπεύθυνος*, ut de eo Plutarchus loquitur, & ut imago Dei adorabatur, & ut apud Justinum est, non mutabatur nisi morte. Rex erat qui dicebat Proceribus Persarum [b]: *Ne viderer meo tantummodo usus consilio, vos contraxi: ceterum mementote, parendum magis vobis esse quam suadendum*. Tamen & jurabat quum Regnum adiret, quod Xenoponti & Diodoro Siculo notatum, & leges certa quadam forma latas mutare illi nefas erat, ut & Danielis (c) & Estheris [d] historiae, & Plutarchus in Themistocle nos docent: *Apud Persas*, inquit, *religio erat, leges non servare ut semel latae fuerant*. Diodorus quoque Siculus lib. XVII. & multo post tempore Procopius Persici belli libro primo, ubi insignis ad hanc rem historia exstat. Idem de Aethiopum Regibus tradit laudatus Diodorus. Eodem tradente, Aegyptiorum Reges, quos tamen ut alios Reges Orientis summo imperio usos non est dubium, ad multarum rerum observationem obligabantur. Epiri quoque Reges jurare solitos, regnaturos se juxta leges, ex Plutarcho in Pyrrhi vita discimus: *Jurabant autem Reges, se imperaturos secundum leges: Epirotae autem, se imperium eisdem conservaturos secundum easdem leges*. Et quoniam Nat. Alex. Gallicum regnum in exemplum adducit, subjiciam hic quod Johanni Barbeyrac in not. ad Puffend. lib. VII. de Jure N. & G. capite VI. num. X. adnotatum est [e].

Si ergo Principes saeculi & Reges gentium, de quibus ait Christus Luc. XXII. quod *dominantur earum, & potestatem exercent inter eas*; legibus tamen principatum subjiciunt, & imperium ex earum praescripto administrandum, & Rempublicam gubernandam esse fatentur: Quid mirum, si Ecclesiae Principes, quibus Christus nihil impensius, quam modestiam, lenitatem, patientiam & mansuetudinem commendavit, ad earum legum observantiam se adstrictos esse gloriantur, quae Spiritu Dei conditae sunt, ac totius mundi reverentia consecratae? Nam quae rationes adfer-

---

(a) Lib. I. de Jure B. & P. capite III. §. XVI. num. 3.

(b) Valer. Max. lib. IX. cap. V.

(c) *Scito, Rex, quia lex Medorum atque Persarum est, ut omne decretum, quod constituerit Rex, non liceat immutari*. Cap. VI.

(d) *Si tibi placet, egrediatur edictum a facie tua, & scribatur juxta legem Persarum atque Medorum, quam praeteriri illicitum est*. Cap. Videsis Josephum in Historia Vasthae.

(e) Les Princes, qui ont été le plus jaloux de leur indepéndance, ont quelque foix reconnu, qu'ils ne pouvoient rien contre les Loix. En voici un exemple bien remarquable, que M. Sidney n'a pas manqué de raporter; c'est que, dans le Traité *des Droits de la Reine de France*, imprimè en 1667. par ordre de Lovis XIV. pour justifier les pretentions de ce Monarque sur une partie des Pays bas Catholiques, on trouve formellement, *que les Rois ont cette heureuse impuissance de ne pouvoir rien faire contre les Loix de Leur Pays*.

adferri a Politicis solent, cur Principes, etsi a legum humanarum coactione immunes sunt, suos tamen suorumque ac populorum mores ad earumdem legum amussim exigere teneantur, & infinitam atque incircumscriptam potestatem certis limitibus continere: eaedem multo magis in summum Ecclesiae Principem quadrant; eaque de caussa dispar a Patribus esse dicitur Ecclesiasticae & saecularis Monarchiae conditio. Tenentur enim imprimis Principes suas aliquando servare leges (*a*) ob aequitatem naturalem & publicam honestatem, quae id exigunt, ut quod ab aliis requirimus, ipsi faciamus. Quod quum notissimo illi naturalis divinique juris principio innitatur (*b*); quis dubitet, quin etiam Principes complectatur, quos ab iis quae a naturali vel divino jure derivantur, absolutos non esse, apud omnes in confesso est? idque potissimum in iis legibus quae naturali aequitati innituntur: quas, ut recte quidam ait [*c*], etsi, quod ad forum humanarum attinet, *non tenentur servare ut leges*; *tenentur* tamen *servare ut rationes*. Multum enim interest, aliquid facias prout lex imperat, aut prout ratio docet. Ratio autem & aequitas naturalis postulant, ut in rebus agendis Principes quid eos deceat, consulant, non quantum liceat; ut illud Tullii Judices admonentis prae oculis semper habeant [*d*]: *Vestri consilii, vestrae sapientiae est, spectare quid deceat vos, non quantum liceat vobis*. Est enim aliquid ut idem monet [*e*]: *Quod non oporteat, etiamsi licet*. Quo etiam pertinet illud Claudiani Honorium Imperatorem adloquentis:

Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

Porro ut nihil magis aequum, honestum ac decorum Principi, quam submittere legibus Principatum (*f*): ita nihil ab aequitate disjunctius, quam ut jugum aliis imponat, quod sibi intollerabile videatur. Quo spectat illud Minucii Consulis his apud Dionys. Halicarn. (*g*) verbis increpantis Plebem Romanam: *Et quae vos ipsi ferre nolletis, aequum putatis, alios ea ferre?* Quod Christus Dominus in eo capite, in quo Pharisaeorum superbiam & hypocrisim carpit, primum in illis & gravissime reprehendit; jubetque ut ab eo maxime Discipuli sui caveant (*h*): *Secundum opera eorum nolite facere: Dicunt enim, & non*

(*a*) Puffendorf. lib VII de. J. N. & G. cap. VI. §. III.
(*b*) Arnil. de Jure Majest. lib. I. cap. III. num. 7. & seqq.
(*c*) And. Irsen. in Praelud. feud. quaest. 2. num. 36.
(*d*) Orat. pro Rosc.
(*e*) Orat. pro Balbo.
(*f*) L. *Digna vox*. Quod Guntherus lib. VIII. de Gest. Frid. Imp. seqq. versibus expressit:

Nam nihil, ut verum fatear magis esse decorum
Aut regale puto, quam legis jure solutum
Sponte tamen legi se se supponere Regem.

(*g*) Lib. VII. Hist. Rom.
(*h*) Matth. cap. XXIII.

& non faciunt. Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. Ad quem locum haec S. Johannes Chrysostomus „ observat [a]: Duplicem hic nequitiam memorat, quod a subditis „ sine ulla venia sedulam requirant „ vitae puritatem, multamque sibi „ licentiam permittant: quod contrarium est boni Principis officio: quod „ est in rebus ad se spectantibus judicem esse severum ac sine ulla „ venia; in subditorum vero peccatis mitem & ad veniam dandam „ pronum. Hi vero contrarium faciebant. Tales sunt ii omnes, qui „ verbis philosophantur; severi nempe & immisericordes, utpote in „ operibus inexperti. Quum ergo nihil aeque Christo cordi fuerit, quam a suis Discipulis Pharisaeorum jactantiam & hypocrisin removere; volueritque in hoc ipso capite ut qui futurus erat eorum Princeps, ceteris humilitate praestaret, eorumque minister esset; quid mirum, si Apostolorum Principis Successores & se se & suam Ecclesiam ceterarum principem eisdem legibus regant ac moderentur, quas aliis Episcopis & Ecclesiis praescribunt?

Altera ratio, cur Principes suis se se accommodare legibus maxime deceat, inde petitur, quod eorum exemplo efficacissime populi ad earumdem legum observantiam incitentur [b]. Sanctiores enim & Justiores reputant eas leges, quibus animadvertunt Principem ipsum non dedignari acta sua subjicere, libentiusque eisdem obedientiam praestant illius exemplum prae oculis habentes, quo nihil in utramque partem, sive mutare sive conservare velis Rempublicam, efficacius esse, docet Plato [c]. Quamobrem, ut ab eodem memoriae proditum est [d], quum Cleomenes bona sua in forum contulisset, *Regem cives universi secuti sunt*. Et quum Consules & Senatores Romani, ex consilio Laevini Consulis, aurum, argentum, aes signatum omne in publicum conferrent; *hunc consensum Senatus*, ait Livius (e), *Equester ordo est secutus, Equestris ordinis Plebs. Ita sine edicto, sine cohortatione Magistratus, tantum auri & argenti collatum, ut nec Triumviri accipiendi, nec scribae referendo sufficerent*. Merito proinde Vellejo Paterculo animadversum est (f), quod *Princeps optimus recte facere cives suos faciendo docet: quumque sit imperio maximus, major exemplo vult esse*. Et Mecoenas in Oratione ad Augustum [g]: *Ea ages quae Praefectos agere velis: id enim facilius eos officium docebit, quam metus legum; quum alterum imitatione condiscant, alterum timore: ac facilius meliora imitentur homines, quum ea in re ipsa conspiciunt, quam pejora vitent, verbis ea prohibita audientes*. Ac praeclare Ovidius:

Sic

(a) Homil. LXXII al LXXIII. in Matth.
(b) Arnis. lib. I. de. Jure Majest. cap. III. num. 10. Puffend. lib. VI. de Jure N. & G. cap. VI. §. III.
(c) Lib. III. de legib.
(d) In Cleom.
(e) Lib. XXVI.
(f) Lib. II. in fin.
(g) Apud Dion. lib. LII.

Sic agitur censura, & sic exempla parantur,
Si judex, alios quod jubet, ipse facit.

Praeclarius etiam Claudianus [a]:

In commune jubes si quid censesve tenendum,
Primus jussa subi: tunc observantior aequi
Fit populus, nec ferre negat, quum viderit ipsum
Auctorem parere sibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita Regentum.

Quanto autem Christianae virtutes Politicis praestant; tanto Magis decet, ut ad eas summus Ecclesiae Princeps exemplo suo populos incitet quam legibus & praeceptis. Quamquam enim generatim omnium virtutum, praecipue tamen Christianarum, decus & ornamentum, earumque pretium, non tam in exteriore opere actuque positum est, quam ex interiore spiritu & affectu manat, prout scilicet quis non invitus aut coactus, sed volens libensque Christianae pietatis officia amplectitur & exequitur. Nam ad civilis Reipublicae finem non admodum refert, qua quis mente operetur, dum tamen, quod ad exteriores actus pertinet, & prudens, & justus, & fortis & temperans videatur. At si ad caelestis Reipublicae finem ejusmodi virtutes exigantur, nullus aut modicus est earum fructus, nisi in corde radicem habeant, ac si eas prorsus interior spiritus destituat. *Homines enim vident ea quae parent, Dominus autem intuetur cor.* I. Regum cap. XVI. *Non ex tristitia aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus:* II. Cor. cap. IX. Neque beatus, qui utcunque pauper, sed qui pauper spiritu est; neque item qui utcunque mitis aut humilis, sed qui mitis & humilis corde est. *Beati pauperes spiritu.* Matth. cap. V. *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* Ib. cap. XI. Ad excitandum autem & commovendum interiorem adfectum plus valent Principis ac Legislatoris exempla, quam leges & praecepta. Illa enim animum subeunt, & amorem conciliant; poena vero, quae legi vim & efficacitatem indit, timorem incutit, qui, ut S. Augustinus identidem monet, manum refroenat & a scelere cohibet: quod nisi etiam caritate fiat, a novi Foederis spiritu ac perfectione quamlongissime abest. Si ergo Principes saeculi, ut populis exemplo sint, naturae lege tenentur suas ipsi aliquando servare leges; multo magis summus Ecclesiae Princeps, Magister ac Legislator, ad ea quae alios docet jubetque, exemplo suo praeire atque incitare debet; quemadmodum Christus Rex & Legifer noster, qui *coepit facere & docere*. Quae verba S. Johannes Chrysostomus exponens: „ Consideres, *inquit* (a), velim, quomodo Christus per opera dictis suis fidem conciliarit. Ad mansuetudinem hortabatur dicens: *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* Docebat paupertatem, & illam per opera exhibebat ...... sic etiam discipulos suos facere jussit. Qua-

(a) De IV. Consul. Honor. ver. 296. & seqq.
(b) Hom. I in Acta Apostolor.

„ propter dicebat Paulus: *Sicut habetis formam nostram*. Phil. cap. III. Nihil enim frigidius Doctore, „ qui verbis tantum philosophatur: „ neque enim hoc Doctoris est, sed „ hypocritae. Idcirco Apostoli primum exemplo, hinc verbis docebant; imo non verbis opus habebant, operibus ipsis clamantibus. Quum ergo Christianae Reipublicae veluti summa in caritate posita sit: Hoc est enim maximum & primum mandatum: ex quo Lex pendet & Prophetae Matth. cap. XXII. haec veluti Christi Discipulorum tessera Jo. cap. XIII. haec vinculum perfectionis ad Colos. cap. III. Et qui diligit legem implevit: Et omnia in hoc verbo instaurantur, *diliges proximum tuum &c.* ad Rom. cap. XIII. caritas autem libera sit non coacta; ipse, ut ita dixerim, Christianismi spiritus exigit, ut quantum fieri potest, Christi grex a Pastoribus non timore sed amore ducatur. Quo pertinent & illud Gregorii Nazianzeni (*a*): *Vel maxime id lex nostra & Legislator noster sanxit, ut grex non coacte sed sponte ac libenti animo pascatur*: & illud S. Hieronymi (*b*), qui Regem nolentibus, Episcopum volentibus praeesse scribit: & illud S. Johannis Chrysostomi (*c*): *Legibus ac mandatis omnia peraguntur*; (apud Principes) *hic vero nihil tale: Neque enim licet ex auctoritate praecipere*: ac demum illud Origenis (*d*): *Quoniam sicut omnia carnalia in necessitate sunt posita, non in voluntate; spiritualia autem in voluntate: sic & Principes spirituales. Principatus eorum in dilectione debet esse positus, non in timore corporali*. Quae certe non eo pertinent, ut potestas coactiva & vera jurisdictio spiritualibus Principibus adimatur: sed ut ii intelligant, quo potissimum spectare debeant, ut scilicet subjectos populos magis dilectione, & bonorum operum sanctaeque disciplinae exemplis, quam legum & poenarum metu, gubernare & in officio continere satagant.

Et hae quidem rationes id imprimis suadent, maxime congruum esse ac decere Ecclesiam Romanam, ut quibus institutis ac legibus alias Ecclesias regit, iis & ipsa regatur. Sed est alia ratio, quae generatim probat, esse aliquas in Christiana Republica, quemadmodum & in ceteris leges, quas summus Princeps ac Legislator, quacumque potestate praeditus sit, & quamlibet legibus exemtus atque earum vi & coërcitione immunis, non tamen attingere debet, sed omne in id studium operamque conferre, ut examussim ac religiose serventur; cujusmodi sunt leges, quibus status, pax & tranquillitas Reipublicae continetur. Nihil enim fere (*e*) exitu perniciosius est legum novitate, si de statu Reipublicae quaeratur. Atque haec ratio magni ponderis semper visa mihi est: eoque majus periculum imminet, si leges, quibus stat Respublica, mutari ac moveri contigerit. Nam leges, quae servitutum ac testamentorum jura continent, quaeque de rebus rationibusque contrahendis feruntur, interdum mutari convenit, ut melioribus

locus

(*a*) In Apolog.
(*b*) In Epitaph. Nepot.
(*c*) Hom. III. in acta Apostolor.
(*d*) Tract. XII. in Matth.
(*e*) Bodin. lib. IV. de Repub. cap. II.

locus sit. Sed qui leges, quae ad statum Reipublicae pertinent, mutare salva Republica conatur, perinde facit, ut ii qui aedium altissimarum substructiones & fundamenta renovare se posse putant salvis aedibus, quae nisi ruant, plus tamen ipsa concussio domus incommodi, quam nova materia utilitatis sit adlatura; eoque magis quum civitas quasi vetus & caduca domus diutissime stetit in eodem statu. Est enim ab Antiquis accepta, & posteritati diu probata civitatum conservandarum disciplina, scilicet, in ea Republica, quae diutissime floruit in eodem statu, quantacumque utilitatis species appareat, insperata conversione nihil esse mutandum. Quod si quis plerasque leges saepius mutari doceat oportere, ut quae de annona, de mercibus evehendis aut invehendis, de poenarum acerbitate aut lenitate, quae parvo momento mutabiles sunt, assentior ego quidem: quum vis ipsius necessitatis nulla legum obligatione teneatur. Leges enim novae si spem adferunt ut tanquam in herbis non fallacibus fructus appareat, non sunt illae quidem repudiandae: sed agitur de legibus, quae statum civatis continent: quas, si fieri possit, immutabiles esse, & velim & optem: non quia Respublica legibus inservire debeat; quum Reipublicae ac societatis tuendae caussa leges omnes ferantur, nec leges quisquam legum sed Reipublicae caussa, salvas esse velit. Est enim haec Rerum omnium publicarum prima ac praecipua lex: SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO. De his ergo legibus, quae populorum consensione, & longo ac diuturno usu firmatae sunt, & quibus post Evangelicas & Apostolicas institutiones, Christianae religionis & sanctitas floret, & pax & tranquillitas constat; de his, inquam, legibus pleraque eorum locorum intelligenda sunt, quae ab Adversariis opportune importune objiciuntur, & quibus Romani Pontifices profitentur, sacras & inviolabiles esse debere eas leges, quibus & longa aetas, & Ecclesiarum consensus summam conciliavit auctoritatem. Quas perinde ac Romani Pontifices, ipsa Concilia Oecumenica sibi intactas, & immotas & inconcussas esse voluerunt; ac proinde ut nihil hinc Adversariorum sententia adversus generalium Conciliorum, ita nostro judicio neque adversus summam Romanorum Pontificum potestatem, efficiatur.

Sed quoniam quae hactenus disseruimus parem ferme efficere videntur saecularis & Ecclesiasticae Monarchiae conditionem, atque adeo non plene satisfactum videtur iis Patrum testimoniis, qui Christi Domini & Apostolorum Principis verbis freti, dominatum Clericis abrogant & absolutam ac simplicem Monarchiam, cujusmodi in aliquot regnis Reges gentium ac saeculares Principes habent; illud etiam ad hunc scrupulum penitus eximendum addemus, novum & insolitum non esse, ut quae reapse, quod ad vim & substantiam pertinet, & spectata communi notione, conveniunt, si tamen externa specie ac splendore differant, eis & res ipsa & nominis proprietas adimi videatur. Sic enim Ex. Gr. & templa & Altaria, & Sacrificium, si com-

communes harumce rerum notiones spectentur, non minus vere ac proprie apud Christianos inveniuntur & locum habent ac semper habuerunt, quam fuerint olim vel apud Ethnicos, vel in veteri lege apud Hebraeos. Quae tamen quoniam apud Christianos externa specie longe ab illis aberant, quae Judaeis & Ethnicis in usu erant; hinc aliquando antiquiores Patres & templa, & altaria, & sacrificia generatim & absolute adimere Christianis videntur; veriti nimirum, ne si in Christianorum sacris designandis, communibus cum Judaeis & Gentilibus vocabulis uterentur, talia crederentur esse apud Christianos templa, & altaria, & sacrificia, qualia in aliis sectis frequentabantur, & externa specie oculos intuentium implebant. Quemadmodum ergo ex aliquot veterum Patrum testimoniis haud jure coligunt Novatores, non fuisse olim apud Christianos vera templa & altaria, nec esse in Ecclesia verum & proprie dictum sacrificium: ita ex eo quod aliqui Patres docere videantur, verum dominatum, ut ait Petrus de Marca (*a*), esse penes Reges, non autem penes Sacedotes, idque etiam ex Evangelio colligere videri possint; inde profecto non sequitur, non esse in Ecclesia veram Monarchiam a Christo institutam, quae Monarchiae saeculari, quod ad vim & substantiam Monarchici regiminis pertinent, impar non sit; quamquam externa specie ac modo regiminis alia debeat esse Ecclesiastici principatus conditio. Itaque ne quum de Regno & imperio Ecclesiae loquimur, tale cogitemus Regnum & imperium, qualia sunt ea, quae sub sensus cadunt, & oculis obversantur, ex quibus ut plurimum de rebus statuimus & judicamus; aliquot veterum Patrum, cum Romanis Pontificibus [*b*], tum generatim Sacerdotibus [*c*]: *dominationem* abrogasse videntur: quorum tamen verba ut Ecclesiae dogmati consentiant aliquo interpretamento ab omnibus Catholicis temperanda sunt: neque ulla est ratio, cur nostra haec interpretatio prae ceteris rejiciatur.

CAPUT V.

Quamquam Ecclesiae per Romanos Pontifices gubernationem ad certarum legum praescriptum & amussim exigendam esse diceremus; non inde tamen consequens esset, summam non esse, & in Ecclesia, & super Ecclesiam eorumdem Romanorum Pontificum potestatem.

Lumen huic Thesi praeferet atque adhibebit Puffendorfii doctrina [*d*], aliis etiam, ut video, Politicarum rerum Scriptoribus communiter commendata, qui Grotii [*e*] vestigiis insistens, diserte statuit, Imperium non desinere esse summum, quamquam inter Regem & cives conceptis verbis in ipsa imperii delatione conventum sit, ut ad certas leges, quas

(*a*) Lib. II. de Conc. Sac. & Imp. cap. XVI. num. VI.
(*b*) S. Bern. lib II. de Consid. cap. VI.
(*c*) Origen. Tract XII. in Matth. & S. Johan. Chrys. Hom. III. in Acta Apostolos.
(*d*) Lib. VII. de Iure N. & G. cap. VI. §. VII. & seqq.
(*e*) Lib. I. de Jure B. & P. cap. III. §. XVI.

quas *fundamentales* vocant, imperium gerat. Quamquam enim in qualibet Republica summa potestas populo praecellat, & a nemine in hoc mundo pendeat; magnum tamen, potissimum quod ad Reges pertinet, in modo administrandae potestatis discrimen est. Alicubi enim Princeps judicio arbitrioque suo populos regit, alibi vero certis inhaerere regulis debet: unde oritur distinctio potestatis absolute, & certis quibusdam legibus circumscriptae. Aliud est ergo, horumce Auctorum judicio, Reges ac supremos Magistratus *summam*, aliud *absolutam* habere in Republica potestatem. Nam qui absoluta potestate praeditus est, nullis Reipublicae constringitur legibus, quemadmodum ille, cujus imperium ad certas dirigendum regulas est. Qui tamen propterea summam non desinit habere in Republica potestatem, quoniam omnia Majestatis jura, quibus in absoluta Monarchia Principes gaudent, iis etiam ille decoratur. Quare totum discrimen in eo positum est, quod Princeps legibus solutus, de rebus agendis suo ipse judicio statuit atque pronuntiat; at in Monarchia certis legibus circumscripta, Concilium seu coetus populi aut Optimatum una cum Rege quaedam negotia discutit, ejusque consensione opus est, ut quaedam jure ac legitime subditis mandet; quamquam ea, quae in hoc Coetu constituta sunt, non ab eo, sed a solo Rege vim omnem auctoritatemque derivent. Quamobrem in ejusmodi civitate non sunt, quemadmodum in Republica mixta & irregulari, duae voluntates: nam omnia quae vult civitas, vult per voluntatem Regis: quamquam limitatione illa fiat, ut non existente certa conditione, Rex quaedam non possit velle, aut frustra velit. Neque etiam summum obtinere locum desinit, aut coetus, cujus in summis rebus consensus requirendus est, ipso Rege superior habendus est. Non enim ex quo Princeps non omnia ex libidine facere potest, consequens est, eum non habere summum imperium: neque ex quo aliquis non tenetur alteri praestare in omnibus obedientiam, sequitur, eum alteri aequalem esse, aut illo etiam superiorem. Quemadmodum neque ex eo, quod non possumus alicui pro libitu omnia praecipere, hic vicissim jus sibi adrogare potest aliqua nobis praecipiendi. Diversa namque haec sunt, teneri ad alterius sequendam voluntatem, quoniam ad id pacto me aliquo obstrinxi; & quoniam illi fas est, quascunque libitum fuerit, mihi leges praescribere. Itaque multum inter se distant, longeque diversae sunt atque sejunctae, Potestas summa & Potestas absoluta. Prior enim tantum requirit, ut in eodem ordine nulla ea superior aut illi aequalis habeatur. Posterior autem praeterea exigit libertatem jura sua exercendi, suo dumtaxat adhibito judicio, & ex propriae voluntatis arbitrio. Quomodo autem illa duo consistere possint, Imperium summum & Imperium certis quibusdam pactis quodammodo circumscriptum, explicat Grotius *similitudine Patris familias, qui si quid familiae facturum se promiserit, quod ad familiae gubernationem pertineat, non eo desinet in sua familia jus summum, quantum fert familia, habere. Nec maritus maritali potestate privatur,*

tur, eo quod aliquid uxori promiserit.

His ergo positis, de quibus, ut jam diximus, celebrioribus harumce rerum Scriptoribus communiter inter se convenit, facile constat propositae thesis fundamentum: quam etiam Illustrissimus Petrus de Marca (*a*), frustra Meldensi Episcopo, ut mox videbimus, intercedente, tuetur. Quamquam enim quas vocant *Ecclesiae Gallicanae Libertates*, quas veterum Canonum auctoritate niti depraedicant, firmas & immotas esse debere, & ipse contendat; attamen earum inviolabilem firmitatem, non ex superiore generalium Conciliorum, quemadmodum alii Pragmatici, auctoritate derivat; sed ex eo potius quod Romani Pontifices sacrosanctas Ecclesiae leges inconcussas praestare velle merito judicentur, vel etiam ex promissione, qua se ipsi ad veterum Canonum exsecutionem obstrinxerint. „ Solet, *inquit*, a plerisque Pragmaticis hoc fere praecipuum constitui Libertatis Gallicanae theorema, Concilium Oecumenicum superius esse summo Pontifice. Unde sequatur, nihil a Sedis Apostolicae Praesulibus tentari posse, quod Synodorum generalium definitionibus adversetur ..... Attamen si cum bona Magistrorum venia, id quod sentio libere profiteri liceat, existimo Libertates Ecclesiae Gallicanae hoc axiomate non omnino niti .... nam Libertates perinde tuemur, si de Concilii generalis novis decretis, ac si de Romani Pontificis novis Constitutionibus agatur ..... Quare non est quod haereamus in ea regula, quae Romanis stomachum movet, & quae rebus nostris non prospicit ut par est. Fruatur summus Pontifex aut aequo jure cum Conciliis generalibus, aut superiori. Illud unum in foro expendetur, an nova constitutio vel novum Rescriptum rebus Gallicanis consulat, aut noceat. Si receptos Canones vel receptos mores infringat aliquo pacto, ejus ratio non habebitur, nisi consensu publico accedente. Praeterquamquod enim haec novarum legum conditio est, & praecipue Ecclesiasticarum, ut assensu eorum, quorum interest, probentur; id sibi praecipue vendicat Canonum reverentia, ut iis Pontifices Romani derogare velle non censeantur, etsi fortasse formulis Rescripti, ex stylo Curiae, aliter cautum sit. *Et infra num. II.* Itaque non agimus cum Sede Apostolica, quasi cum potestate quadam certis regulis ita devincta, ut eas nullo casu egredi possit; cum sciamus Canonum dispensationem, cujus est in Politia Ecclesiastica frequentissimus usus, summo Pontifici praecipue concreditam. Sed, veluti ex pollicitatione, quam suis decretis Canonum & Constitutionum exsecutionem spoponderunt, a Beati Petri Successoribus cum debita reverentia exigimus. Quantum enim Canonibus detulerint Romani Pontifices per omnes aetates, perpetuo & verbis & factis testati sunt; eademque opera Libertates nostras invio-

(*a*) Lib. III. de Conc. Sac. & Imp. cap. VII.

„ inviolatas spondere visi sunt.

Hanc doctissimi Praesulis opinionem amplectitur etiam ac tuetur Cl. Thomassinus (a), & cum alios Gallicanarum Libertatum Vindices ac Patronos adjungit, qui eidem sententiae haud obscurae suffragantur, veluti Petrum Pithoeum, Jacobum Capellum, Antonium Hotmannum, Guidonem Coquille, & Leschasserium; tum etiam pluribus eam Cl. Auctor argumentis munire & confirmare satagit. Quod ad utrumque caput pertinet, aliqua ex ea doctissimi Viri disputatione delibabo. Eamdem, inquit (b), ac Petrus de Marca, trivit orbitam longe doctissimus Antonius Hotmannus, solo antiquitatis usu ac jure adversus novitatem Libertates has omnes suffulciens. Et post Constantiensem ac Basileensem Synodum perhibet ille quidem vexatam fuisse quaestionem illam, *an superior sit Papa Concilio*; at supersedisse Tridentinos Patres ea quaestione attingenda, & tandem concludit: „ Nec facile dirimi posse litem illam; & ejusmodi grandes ac generales quaestiones persaepe consultius in suspendio retineri. Conducibilem esse modestam libertatem, sed deprimi plus aequo Pontificiam dignitatem, periculosum id vero esse. Quae eruditissimi Viri verba plus satis produnt, quam immaniter ille abhorreret a Libertatibus patriis tam inconstanti lubricaeque doctrinae committendis. Nec ab horum vestigiis deflexit Guido Coquille: „ In Gallia excogitata est ratio haec honesta cohibendorum conatuum quibus corruptela in Ecclesiam invehetur; non velut ab abusu appellando a concessione Rescriptorum Pontificiorum: In Pontifice enim agnoscitur supremitas in negotiis Ecclesiasticis: sed tanquam ab abusu provocando ab executione hujusmodi Rescriptorum. Ita in impetrantes culpa derivatur, concedentis honori parcitur, par utilitas decerpitur. Solius etiam antiquitatis praesidio pugnat Leschasserius, praetendens cum Carolo VI. Gallorum Rege, *Jus commune antiquum, antiquos Canones, statuta antiquorum Patrum*: cum Carolo VII. *statuta Sanctorum antiquorumque Patrum*: cum S. Ludovico, *dispositionem Juris communis, sacrorum Conciliorum Ecclesiae Dei, & statutorum Sanctorum antiquorum Patrum*. Novellum illud jurgium prorsus silet ut cassum & inutile: quum intersit, non quae superior & major, sed quae antiquior sit auctoritas: & minor si modo vetustior, antehabeatur majori sed juniori. Haec ex laudatis Scriptoribus Thomassinus, ex quo etiam aliquot argumenta subjiciam, quibus eadem sententia egregie firmatur.

Nam primo, inquit (c), si Libertas Gallicana perinde refellit nova Conciliorum generalium statuta, atque decreta Pontificum, pristinis suis legibus moribusque refragantia: alienum prorsus est, eam illi sententiae superstrui, qua Concilio Pontifex subjicitur. Discors enim ipsa sibi Concilio

(a) Differt. XVIII. in Syn. Rom. an. 532. num. CIII. & seqq.
(b) Ubi supra num. CVI.
(c) Ubi supra num. CV.

cilio Pontificem & subjicit & exaequat; & quidem verbo subjicit, re exaequat; quum adversus utriusque nova decreta ex aequo pristinos suos mores propugnat. 2. Non omnia Gallicanae capita aliquo Conciliorum generalium statuto nituntur. Pleraque Gallicanarum Synodorum antiquis legibus, vel receptis tantum moribus contineri dicuntur. Non ergo pro Conciliorum majestate adversus Pontifices, sed pro antiquitate adversus novitatem quorumcunque, seu Synodalium, seu Pontificalium statutorum decertat Libertas Gallicana. 3. Conciliorum Constantiensis & Basileensis decreta, non pura & mera, sed quibusdam *modificationibus* temperata, amplexati sunt Majores nostri; nempe quasi ad Gallicanos mores ususque castigata. Ergo quum his Conciliis veluti munimentis quibusdam maxime se jactent Vindices Gallicanarum Libertatum, vel in his ipsis tamen experiuntur, exaequari quodammodo Concilia Pontificibus, & parem circa horum illorumque decreta exeri libertatem. 4. Quid quod Pragmaticae sanctioni, ad Constantiensia & Basileensia decreta contemperatae, vale diximus tandem; & concordatis, sola Pontificis auctoritate Regioque consensu munitis, acquievimus? Nonne palam est hic saltem desisse nos, Concilia Pontificibus anteponere? 5. Quid Tridentinum Concilium memorem? Ejus compluribus decretis neque dum Gallicana se coaptavit disciplina: nec tamen superius aliquod Oecumenico Concilio tribunal, aut quasi generalius Concilium appellavimus. Haec aliaque complura loco citato Cl. Thomassinus, quibus plane & aperte conficitur ac demonstratur, quod quamquam Romanum Pontificem Conciliorum generalium & Ecclesiae teneri legibus profiteremur, non inde tamen consequens esset, summam non esse ipsius Romani Pontificis auctoritatem, aut subditum esse illum eorumdem Conciliorum generalium & Ecclesiae potestati. Nam, ut praeclare idem observat (a): Ligantur & Synodi aliarum Synodorum, ligatur Ecclesia suis ipsa legibus, ligantur & Pontifices suis, ligantur denique Successores antecessorum Pontificum decretis; ne ut Paulus ait, secum conflictabunda auctoritas quae struxit, destruat; quae finxit, diffingat. Nec tamen in hac exemplorum strue minor aut inferior est, qui legibus tenetur. Quibus etiam addendum, quod Pontifices, qui de necessaria Canonum observantia loquuntur, & impensius illam commendant, non solos generalium, verum indiscriminatim & universe quorumcunque Conciliorum Canones complectuntur: imo nonnulli Conciliorum dumtaxat Provincialium & Nationalium Canones distincte commemorant. Ergone Romanos Pontifices Conciliis etiam Nationalibus & Provincialibus subjiciemus? Stat ergo certum & indubitatum, quod quamquam daremus, Ecclesiasticam disciplinam, sive universam sive particulares spectet Ecclesias a Romano Pontifice regi, adhibitis regulis, sive universim sive particulatim receptis; non inde tamen consequens esset,

(a) Ubi supra num. CVI.

esset, quod supremae illius in Concilia Oecumenica potestati atque auctoritati fraudi sit.

Haec tamen tam clara, tamque perspicua Meldensi Episcopo non probantur [a], ac Petrum de Marca, praecipuum illius doctrinae vindicem & assertorem vexat, traducitque tanquam Virum *summa* quidem *doctrina summoque ingenio, at versatili, & in utramque partem aeque composito*. Nihil porro fere aliud objicit, quam eam sententiam non adeo Gallorum prospicere libertati „ cui nimirum „ congruum erat, ut adversus extraordinaria mandata certa praescriptione uterentur, quod esset in „ Canonibus firmum aliquid & invictum, constitutum ab ipsa Ecclesiae potestate: quae Pontificiam potestatem, si quando extra limites efferretur, coërcere; quin etiam interdum in gravibus scandalis castigare posset. Quo enim alio firmiore telo usa est Ecclesia Gallicana ad tuendam libertatem, quam appellatione? At illa nulla est, nisi Concilium statuas potiore potestate esse.

Sic quidem Gallicanae Libertati egregie consulitur, sed Romani Pontificis Monarchia ab imis fundamentis evertitur. Grotius illorum opinionem amplexus, qui Majestatis partes dividi posse arbitrantur, ut eam argumentis confirmet (*b*), statuit, quod quamquam summum imperium unum quiddam sit ac per se indivisum, constans ex illis partibus, quas supra enumeravimus, addita summitate, idest τῷ ἀνυπευθύνῳ, fieri tamen interdum ut dividatur, sive per partes quas vocant potentiales, sive per partes subjectivas... sic enim fieri potest, ut populus Regem eligens quosdam actus sibi servet, alios autem Regi deferat pleno jure. Neque tamen id fit, quotiescunque Rex quibusdam promissis obligatur; sed tunc id fieri intelligendum est, si aut expresse instituatur partitio; aut si quid populus adhuc liber futuro Regi imperet per modum manentis praecepti; aut si quid sit additum, quo intelligatur, Regem cogi aut puniri posse. Nam praeceptum est superioris, saltem in eo quod praecipitur: Et cogere non est quidem semper superioris: nam & naturaliter quisque jus habet cogendi debitorem, sed cum inferioris natura repugnat. Itaque ex coactione saltem paritas sequitur, ac proinde summitatis divisio. Ex qua Grotii doctrina aperte colligitur, quod si Ecclesia aut Synodus generalis aliquid Romano Pontifici injungere possint per modum manentis praecepti; aut si statuatur, Pontificem per Ecclesiam aut Synodum generalem cogi aut puniri posse, aut summitas, adeoque & Monarchica potestas, Pontifici adimetur, aut saltem summitatis divisio instituetur. Plurima autem adversus hanc divisionem a multis objici incommoda, Grotius perspectum habebat: *Multi*, inquit, *adversus talem statum quasi bicipitem incommoda multa deferunt*; neque ea jure deferri inficiabatur, sed respondebat: In Civilibus nihil esse, quod omni ex par-

(*a*) Lib. XI. Defens. cap. XV.
(*b*) Lib. I. de Jure B. & P. cap. III. §. XVII. num. I.

parte incommodis careat; & jus non ex eo, quod optimum huic aut illi videtur, sed ex voluntate ejus unde jus oritur, metiendum esse. Et id quidem Grotio Puffendorfius ultro largitur (a); dum tamen, inquit, mihi vicissim detur, quod si aliquis populus sibi congruere existimat talem instituere divisionem, corpus Reipublicae effingat admodum irregulare, & permolestis gravissimisque morbis obnoxium. Talemne formam Ecclesiae corpori sapientissimum ejus Institutorem indidisse, credendum est?

Sed eam tamen Grotii doctrinam, ac modum ineundi Regem inter ac populum jurium majestatis divisionem, absolute Puffendorfius improbat ac refellit. Nec enim se intelligere ait, quid sit manens illud populi praeceptum, quod adhuc subsistat, quum penes eum jus imperandi non est. Nam omne praeceptum cum potestate coactiva conjunctum est, qua in praecepti violatores jure animadverti queat. Vel ergo populus quum Regem constituit, talem sibi retinet potestatem necne. Si retinet; Regem nomine tenus instituit; reapse autem Majestas penes populum manet. Sin autem; praeceptum illud inane ac nullius omnino momenti est. Itaque dicendum erat, quod populus adhuc liber pacisci cum Rege poterat, ut certas in administrando regno regulas sequeretur. Quod tamen sine ulla summae potestatis divisione fieri Grotius ipse fatetur. Si autem clausula adjungitur, qua *Regem cogi aut puniri posse* intelligatur; in ea hypothesi, inquit Puffendorfius, summum imperium penes populum est, ac sub specioso Regis nomine principalis quidam Magistratus instituitur, a quo ratio administrationis exigi possit. Non enim nisi superior poenas infligere jure potest. Et vis seu coactivo, aut *moralis* est, & auctoritate nititur; aut *physica*, & bello & armis infertur. Inter aequales auctoritas unius in alterum locum habere non potest, quia par in parem non habet imperium. Quare aut cogendi Regem populus jus non habet; aut Regi non modo aequalis, verum & illo superior est. Vis autem, quae bello & armis infertur, inter aequales quidem exercetur, sed qui unius Reipublicae foedere minime continentur. Unde colligit laudatus Auctor, quod si populo hoc pacto Regem cogere fas est; uterque in statu naturalis libertatis consistet, atque adeo nulla inter eos Civilis societas intercedet.

Convenit ergo inter Grotium & Puffendorfium, non obesse Majestati aut summo imperio, nec iniri divisionem, si quid in ipsius imperii delatione adjiciatur [b] tanquam regula illud administrandi, neque id fiat per modum legislationis, sed conventionis. Quum enim imperium accipere non sit necessitatis sed voluntatis, sibi legem praescribere videtur, qui certa quadam lege & conditione administrandum illud accipit. Sin autem per modum legislationis id fiat, & ea clausula adjecta, qua intelligatur Regem cogi & puniri posse; non modo summitatis institui divisionem, & cor-

(a) Lib. VII. de Jure N. & G. cap. IV. §. XIV. in fin.
(b) Vander Muelen ad loc. cit. Hug. Grotii.

& corpus Reipublicae effingi informe atque irregulare, & acribus ac perniciosis morbis obnoxium; quod ne Grotius quidem inficiatur; verum, uti Puffendorfius demonstrat, ipsam everti Monarchiam, & Regem effingi, qui Regiae majestatis solum titulum praeferat. Atque adeo consuli quidem in ea hypothesi populi libertati, sed Regiam potestatem seu Monarchicum principatum non modo certis limitibus coërceri, verum & ejus rationem omnino labefactari ac funditus everti. Quibus animadversis, facile quisquis intelligit, quo Meldensem Episcopum consulendi Ecclesiae Gallicanae libertati studium provexerit. Si enim firmum aliquid & invictum & Ecclesiae auctoritate constitutum esse debet, quo ipsa Ecclesia Pontificiam potestatem, si quando extra limites efferretur, coërcere, quin etiam interdum in gravioribus scandalis castigare posset; si quid Puffendorfii adversus Grotium argumenta valent, nomine solo habebimus in Ecclesia Monarchicum Principatum: & sub specioso summi Ecclesiae Principis aut Monarchae nomine summum quemdam Magistratum habebimus, qui Ecclesiae administrationis suae rationem reddere teneatur, quique ab ea cogi ac puniri possit. Stultum est etiam putare, a Majestate appellari posse: quum appellatio semper procedat ab inferiori ad superiorem, majestate vero nihil superius fingi possit. Nisi forte putemus, inquit Arnisaeus (*a*), ab eadem ad seipsam appellandum esse: quomodo Graecorum quidam a Philippo Macedonum Rege poto ad eumdem sobrium appellavit (*b*): & ab Imperatore male informato ad eumdem melius informandum provocari posse, argumento est lib. I. §. *Quid ergo est? Quando appell. c. bidunm &c.* Cujusmodi ferme olim fuerunt appellationes ab initio saeculi XIV. ac deinceps in Galliis frequentatae. Quum enim simul & ad Synodum & ad Pontificem, qui Synodo praefuturus erat, provocaretur; *ut a Pontifice ipso ad ipsummet vel ad Successorem*, inquit Cl. Thomassinus [*c*]: *ita a Pontifice ad Synodum, supplicatio erat, etsi provocatio diceretur.* Quod quamquam passim ac promiscue imo & unquam [*d*] admittendum non est, non tamen adeo Monarchicae potestati repugnat, atque appellatio, qua vere proprieque a Pontifice ad generalem Synodum provocetur.

CAPUT VI.

Utrum Romani Pontificis Monarchia sit humanis legibus absoluta, vel iisdem circumscripta.

QUamquam Romani Pontificis, si Ecclesiasticae Monarchiae ratio constare debet, summa esse debeat in Ecclesia potestas; non tamen statim apparet, sitne etiam aut esse debeat illius principatus absolutus, an po-

(*a*) Lib. II. de Jure Majest. cap. IV. num. 8.
(*b*) Valer. Max. lib. VI. cap. II.
(*c*) Dissert. XVIII. in Syn. Rom an. 532. num. CVI. & Dissertation. XII. num. XIII.
(*d*) Vid. Thomass. Dissert. XII. in Conc. Chalcedon. num. XXVI.

potius certis quibusdam regulis legibusve contineatur. Quandoque enim, ut in superiori capite demonstratum est, populi cum Regibus paciscuntur, ut ad certas leges, quas *fundamentales* appellant, regnum moderentur; nec tamen eorum imperium definit esse summum, quamquam iis legibus definiatur. Quaerimus ergo, an ea sit etiam Apostolici Principatus conditio; an scilicet quamvis Petrus ejusque Successores ex Christi institutione summam habeant in Ecclesia potestatem, haec tamen ad certas regulas aptanda & accommodanda sit, quibus saltem ejus usus & administrationis modus coërceatur.

Ut in re gravissima, & quae hinc illinc maximam habet invidiam, caute procedatur, observo imprimis, quod quemadmodum Regnum non eo dicitur liberum & *absolutum*, quod naturalibus ac Divinis legibus solutum sit: ita nec *limitatum* seu circumscriptum dici potest quod iisdem legibus teneatur. Nam si ad ejusmodi leges humanum referatur imperium, nullum est, quod non earum vinculo constringatur. Notum illud Senecae (a):

Omne sub regno graviore regnum est.

Itemque illud Oratii (b):

Regum timendorum, in proprios greges,
Reges in ipsos, imperium est Jovis.

Quum ergo quaerimus, an absoluta & incircumscripta sit Romani Pontificis Monarchia, ad leges naturales & Evangelicas non respicimus, quibus certum est, quod Romani Pontifices, perinde atque alii homines & Christifideles tenentur. Eademque ratio est de Canonibus seu legibus Ecclesiasticis, quae naturali aut divino jure nituntur. Quo forte referenda sunt plurima eorum Pontificum loca, quae ab Adversariis congeruntur, quibus Ecclesiae Canones inviolabiles praedicantur.

Certum est etiam, non omnibus Regum promissis regiam auctoritatem coarctari. Ut ergo quae vim hanc & potestatem habent, sejungi ab aliis possint; observat Puffendorfius (c), Regem, quum ei primum defertur imperium, ad recte probeque illud administrandum obstringi aut generali, quae vel tacita vel expressa est, aut etiam speciali quadam promissione. „ Tacita promissio regni bene „ gerendi, *ut idem subjungit*, in „ ipsa ejusdem susceptione inesse in„ telligitur, etiamsi nihil expresse „ dictum fuerit. Frequentissimum ta„ men est promissionem illam fieri „ expresse, non sine juramento cer„ taque rituum solennitate. Neque „ id inusitatum, ut in ea promissio„ ne officium Regis describatur per „ periphrasin aut numerationem prae„ cipuarum partium. Puta, se dili„ genter invigilare velle saluti publi„ cae promovendae, bonos defensu„ rum, malos coërciturum, justitiam „ integre administraturum, neminem „ oppressurum, & similia. Quae omnia tacite insunt delationi ac susceptioni imperii: atque adeo neque ad

(a) Thyest. vers. 612.
(b) Lib. III. Od. I. vers. 5. 6.
(c) Lib. VII. de Jure N. & G. cap. VI. §. X.

ad haec promissa respicimus in illa Imperii in *absolutum* & *limitatum* divisione. Neque enim ullum imperium est (a), quod non quibusdam limitibus, qui ex ipsa justi imperii natura profluunt, circumscribatur. Quum enim regendi jus ad utilitatem & securitatem civium tuendam, introductum sit, constat plane, non in eorum debere damnum atque perniciem redundare; ac proinde utilitas atque securitas Reipublicae limites imperii sunt, ultra quos proferri non debet illius usus. Absolutum itaque manet jus regendi cives summo Imperanti, cui nullae aliae conditiones praescriptae sunt, quam quae ipsi delationi imperii ipso jure cohaerent. Penes autem ipsum est arbitrium judicandi & statuendi de his, quae ad pacem & salutem Reipublicae procurandam apta & idonea, suis quaeque locis ac temporibus videbuntur. Haec tamen generalis promissio quamquam simplex esse videatur, quum ad particularia negotia accommodatur, mirum quot capita complectatur! Vix enim fieri potest, ut receptae in aliquo regno consuetudines, aviti mores & leges *fundamentales* convellantur, quin pax & tranquillitas Reipublicae perturbetur; atque adeo in ipsa regni susceptione, & in ea generali, expressa vel tacita promissione haec etiam quodammodo comprehenditur, ut leges & consuetudines diuturno usu firmatae, & quae etiamnum vigent, iisque vigentibus, ipsa quoque Respublica floret ac viget, non modo a Principe non rescindantur atque labefactentur; verum etiam ut omnem is operam conferat ad earum observantiam promovendam; intelligatque, id esse imperii sui potissimum munus; ut leges obtineant, & inviolabiles habeantur. Quo profecto & non alio spectant plurima veterum Romanorum Pontificum testimonia, qui se non violatores & infractores, sed custodes & exsecutores Canonum profitentur; ut illud Zosimi: *Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui statuta Patrum sanxere reverentiam*; & illud S. Martini, doctissimi Pontificis & egregii Martyris: *Canones Ecclesiasticos solvere non possumus, qui defensores & custodes Canonum sumus, non transgressores*. Hoc ipso ergo quod Apostolicum thronum Romanus Pontifex conscendit, se vindicem ac defensorem Canonum profitetur. Quumque sese obstringat ad Christianam Rempublicam inculpate sancteque gubernandam, & ad pietatem, ac religionis studium, morumque sanctitatem in Clero & in populo promovendam, hoc ipso etiam spondet aut spondere censetur sanctissimarum legum custodiam ac tuitionem, atque earum imprimis, quibus Christiana pietas maxime continetur, & quibus vigentibus, ea maxime floret, quaeque, post Evangelicas, *fundamentales* Ecclesiae leges dici quodammodo possunt.

Ea porro generali sponsione tantum abest, ut imperium *absolutum* esse desinat ac *limitatum* reddatur; ut Puffendorfius etiam adjungat, neque id semper contingere, quum Princeps in eas regnandi leges seu regulas speciali promissione consentit. Advertit enim duobus modis concipi ac praestari

(a) Vander Muelen. ad lib. I. Grot. de Jure Belli & Pacis cap. III. §. XVI. num. 2.

ſtari poſſe ejuſmodi promiſſionem. Primo, ut ea ſolum conſcientia Principis teneatur. Secundo, ut habeatur veluti neceſſaria conditio, qua praetermiſſa, ab obedientiae debito ſoluti populi intelligantur. Quod ut melius percipiatur, videtur mihi, tres incidere poſſe caſus, in quibus a conſtitutis promiſſiſque regulis Princeps diſcedat. Primo, ut ſalus Reipublicae id ſine mora, palam ac neceſſario requirat. Secundo, ut non ſit tam evidens urgenſque neceſſitas, quin ea de re comitia populi aut Senatus conſuli commode queant. Tertio, ut non modo nulla urgente ſeu dubia neceſſitate, ſed mero arbitrio atque ex libidine praeſcriptas regulas tranſgrediatur. Nulla porro eſſe poteſt controverſia, quin etiam in regno legibus circumſcripto, ubi praeſens neceſſitas urgeat, liceat Principi praeter leges agere; quum ſalus Reipublicae ſuprema lex ſit, ad quam ceterae dirigendae ſunt. Multis etiam videtur, quod & in regno libero & abſoluto, principi *fundamentales*, ut ajunt, Reipublicae leges paſſim & ex libidine violanti, quoad ejus fieri poteſt ſine graviore ipſius Reipublicae perturbatione, parendum civibus non eſt. Quod vero pertinet ad caſus dubios, & qui in diſceptationem venire poſſunt; de his intelligendum videtur quod ait Puffendorfius, Regis promiſſis ejus ſolum obſtringi religionem, ſi nullum in regno conſtitutum ſit Concilium „ quod „ Rex teneatur conſulere, ſiquidem „ ab iis promiſſis tempora Reipubli„ cae diſcedere jubeant: atque ejuſ„ modi Concilium jure ſuo, non pre„ cario, ſuper illis negotiis cognoſce„ re poſſit, & citra cujus conſen„ ſum Regis juſſis circa talia cives „ non obligentur. Quoniam ſi nullum ejuſmodi Concilium in regno eſt, neque Rex ad illud cogendum in iis caſibus teneatur, jus civibus non eſt juſſa principis detrectandi, & ejus acta veluti contra datam fidem & promiſſionem admiſſa, irrita denuntiandi. Quoniam ſi Princeps contendat, ſalutem publicam, aut inſignem Reipublicae utilitatem poſtulaſſe, ut a regulis diſcederetur; quod ſane de Principe communiter praeſumendum eſt; nihil habent ſubditi quod reponant, quoniam eorum non eſt ſtatuere, ſatis gravis neceſſitas fuerit necne, quae Principem a praeſcriptis deflectere regulis compulerit. Statuit ergo laudatus Auctor, populo, qui Principi circumſcriptam auctoritatem conferre velit, inſtituendum eſſe publicum coetum aut populi aut Optimatum, ad quem Princeps referat ea negotia, quae ad merum illius arbitrium non ſpectant, & citra cujus conſenſum nihil de iis omnino decernat, ac ſi ſecus factum fuerit, velut irritum habeatur. „ Tali, *inquit*, „ modo qui Regem ſibi conſtituit po„ pulus, obſequium ipſi promiſiſſe „ intelligitur, non abſolute & in om„ nibus, ſed quatenus imperium ad „ capitulationem & leges fundamen„ tales congruit, abs quibus diſcre„ pantes actus ipſo jure ſunt irriti, „ neque vim obligandi cives obtinent. Atque eadem ratio eſt, ſi Princeps populi vel Procerum comitia in ejuſmodi caſibus cogere teneatur. Ad hanc ergo doctrinam Romani Pontificis Monarchiam exigamus.

Chriſtus Dominus, qui Eccleſiaſticae

cae potestatis fons unicus & auctor est, quum Petrum Ecclesiae Principem designavit, futuram ejus auctoritatem amplioribus exsequi verbis non potuit: *Tibi dabo claves regni caelorum: & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in caelis*. Profecto si cives cuipiam imperium alicujus civitatis offerrent, nullaque adjecta lege seu conditione profiterentur, ratum sese habituros quodcunque in civitate juberet aut vetaret; quis unquam iturus esset inficias, civium mentem atque propositum fuisse, Principem constituere, qui *absoluta* in ipsos & incircumscripta potestate regnaret? Quum ergo Christus clavium promissione Petrum regni caelorum, idest Ecclesiae, Principem designarit, nullaque adjecta conditione vel lege, rata sese in caelis habiturum spoponderit, quaecunque ille ligasset aut solvisset in terra; quis neget ei tribuisse in Ecclesia amplissimam & absolutissimam potestatem? Haud equidem diffiteor datam ejusmodi potestatem, quemadmodum ait Apostolus, *in aedificationem, & non in destructionem*; at hoc non efficit, ut sit Petri principatus circumscriptus ac *limitatus*: quemadmodum neque quod Princeps saecularis in omnibus quae jubet ac vetat, non ad perniciem, sed ad salutem Reipublicae spectare debeat. Illud est enim praeterea considerandum, an Christus coetum aliquem instituerit, quem Petrus ejusque Successores consulere in rebus dubiis omnino deberent; citra cujus consensum irritum esset quidquid ab eis in magnis & arduis Ecclesiae negotiis decerneretur; & cui rationem reddere tenerentur, si quando concessae facultatis limites transgrederentur. At nullum ejusmodi tribunal adversus Petrum ejusque Successores in Ecclesia Christus instituit; quin quum illi claves regni caelorum reapse contulit, & eum Ecclesiae Principem fecit; quidquid est populorum ac gentium velut oves & agnos Petro ut pastori subjecit. Est autem pastoris suo non ovium aut agnorum judicio ovile pascere & gubernare. Hinc S. Gregorius Magnus merito observat (a): quod *si Beatus Petrus quum a fidelibus culparetur*; quod ad Gentiles accesserat, cum eis comederat &c. *auctoritatem, quam in sanctam Ecclesiam acceperat, attendisset; respondere poterat: ut Pastorem suum oves reprehendere non auderent*. Et S. Avitus Viennensis Episcopus ad Senatores Urbis aliorum Galliae Episcoporum nomine scribens: *Reddet*, inquit, *rationem, qui ovili Dominico praeest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset: ceterum non est gregis pastorem proprium terrere, sed judicis*. Hinc quamquam olim Romanus Pontifex, ut ex Ivone & libro diurno Romanorum Pontificum compertum est, observantiam canonum ac disciplinae & sacrorum rituum in sua consecratione in haec verba profiteretur (b): *Disciplinam & ritum Ecclesiae, sicut inve-*

(a) Lib. IX. epist. XXXIX. ad Theoctistam.
(b) L. Profess. Fid. ap. Garnerium.

inveni & a sanctis Praecessoribus meis traditum reperi, inlibatum custodire. Et indiminutas res Ecclesiae conservare, & ut indiminutae custodiantur, operam dare ..... siqua vero emerserint contra disciplinam canonicam, emendare; sacrosque Canones & constituta Pontificum nostrorum ut divina & caelestia mandata custodire. Quanquam haec, inquam, olim Romanus Pontifex in sua consecratione sponderet atque profiteretur, quae primo adspectu Ecclesiasticam Monarchiam ad certas leges adstringere & coarctare videntur; non se tamen ita res habet. Nam statim in eadem Professione subjungitur, quod perspicue demonstrat, ejusmodi promissa solam Pontificis apud Deum obligasse religionem. Additur enim: *Utpote tibi* (B. Petro) *redditurum me sciens de omnibus, quae profiteor districtam in divino judicio rationem.* Ac rursum: *Si praeter haec aliquid agere praesumpsero; vel, ut praesumatur, permisero, eris mihi in illa terribili die divini judicii depropitius.* Quamquam ergo Romani Pontifices observantiam Canonum & legum Ecclesiasticarum in sua consecratione spondérent; non tamen sese, si promissis deessent, Ecclesiae, sed unius Dei judicio obnoxios profitebantur. Prae oculis enim habebant, quod olim Ennodius scripsisset, ac Symmachus & Romana sub eo Synodus confirmasset: *Voluit Deus B. Petri Apostoli Successores caelo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam.* Quare ea promissa non efficiunt aut demonstrant Ecclesiasticam Monarchiam humanis legibus circumscriptam.

Haec tamen non eo sensu accipi velim, perinde ac Rex in Republica, aut Romanus Pontifex in Ecclesia, propterea quod regnum habeant & imperium incircumscriptum, de rebus arduis & negotiis magni momenti, sine consilio & matura cum aliis deliberatione decernere quidquam & constituere debeant. In eadem fidei Professione, ad usum noni saeculi, uti Garnerius admonet, aucta atque interpolata, hoc praeterea Pontifex profitebatur: *Si qua vero emerserint contra disciplinam canonicam, communicatione filiorum meorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, cum quorum consilio, directione & rememoratione ministerium meum geram, emendare, aut patienter, excepta fidei & Christianae religionis gravi offensione ..... tolerare.* Attamen, ut saepe citatus Puffendorfius sapienter admonet (a), necessitas, quae incumbit Principi de rebus arduis cum aliis deliberandi, non ei adimit absolutam ac liberam potestatem. Haec enim non in eo posita est, ut quaecunque ei libita sunt, temere & caeco quodam impetu exsequatur; sed ut in negotiorum publicorum administratione, suo tantum judicio utatur; cum quo minime pugnat, illum audire rationes, quae ipsi ab aliis suggerantur. Quapropter etsi coetus Consiliariorum Principi in regno absoluto obsequendi necessitatem ex se & propria auctoritate non adferat; adferre tamen potest, prout ei ante oculos ponit, quo-

(a) Lib. VII. de Jure N. & G. cap. VI. §. XII.

quomodo in praesenti negotio gerere ille se debeat. Quomodo & infirmus praecepta Medici amplecti & exsequi debet vi legis naturalis, qua unusquisque salutis & conservationis suae curam habere tenetur, quamquam ex se jus nullum Medicus habeat quidquam infirmo praescribendi. Ex quo ergo promiserint olim Romani Pontifices, nihil se acturos in rebus magni momenti sine Cardinalium consilio; & ex quo etiam haec disciplina constanter ab eis servata fuerit, ad graviora expedienda Ecclesiae negotia, aut Ecclesiae Romanae Clericos, aut suburbicarios vel etiam ex reliquo quo Occidente, pro negotiorum gravitate, Episcopos adsciscendi, consequens profecto non est, *limitatam* esse & ad certas regulas & leges adstrictam Romani Pontificis Monarchiam. Non enim, ut jam diximus, imperium esse desinit absolutum, quod Princeps naturalibus legibus obstrictus teneatur. Tunc ergo vere ac proprie auctoritas Principis restringitur & coarctatur (a), quum subditi in ipsa imperii delatione cum eo pacti sunt, ut si quid circa quaedam negotia, haud adscitis regni comitiis, privato judicio & propria auctoritate statueret, decretum irritum esset, & nullius roboris haberetur. Quod Romae nunquam obtinuit. Nam quod graviora Ecclesiae negotia, ut habet hujus temporis disciplina, non nisi per sacras Congregationes, aut in Consistorio expediantur, ex ipsorum Pontificum voluntate pendet. Atque id etiam aliquando, sine ulla partitione majestatis in iis regnis obtinuit, quae pleno jure & sola Principis voluntate regebantur: *Multum* enim, ut ait Grotius (b), *falluntur qui existimant, cum Reges acta quaedam sua nolunt rata esse, nisi a Senatu aut alio coetu aliquo probentur, partitionem fieri potestatis: nam quae acta eum in modum rescinduntur, intelligi debent rescindi Regis ipsius imperio, qui eo modo sibi cavere voluit, ne quid fallaciter impetratum pro vera ipsius voluntate haberetur. Quale erat Antiochi III. Regis rescriptum ad Magistratus, ne sibi parerent, si quid legibus adversum jussisset.* Quale erat etiam rescriptum Imperatorum Gratiani, Valentiniani & Theodosii (c): *Quoniam plerumque ita in nonnullis caussis inverecunda petentium inhiatione constringimur, ut etiam non concedenda tribuamus: ne Rescripto quidem nostro adversus formam latae Legis loci aliquid relinquatur.* Quare haec res, quemadmodum laudatus Grotius subjungit, similis est testamentis, quibus adjectum est, ne posterius testamentum valeat: nam haec quoque clausula efficit, ut posterius testamentum non ex vera voluntate profectum praesumatur.

Ad hanc porro regulam exigi etiam debet quod Theologi & Juris canonici Interpretes tradunt, de Pontificis Rescriptis haud exsequendis, si vel in maximam alicujus regni perturbationem, aut in apertam Christianae Reipubli-

(a) Puffend. ubi sup.
(b) Lib. I. de Jure B. & P. cap. III. §. XVIII. num. I.
(c) Cod. Lib. X. Tit. XII. *De petit. bonor. sublat.* Leg. I.

publicae & Ecclesiasticae disciplinae laesionem atque perniciem ea cedere compertum sit. Docent enim eo casu reverenter agendum cum Romana Sede, ita tamen ut exsecutio Rescriptorum suspendatur. *Non quod aliquis possit esse judex Papa, aut auctoritatem habeat in illum, sed per modum defensionis*, inquit Cajetanus (*a*): *Cuilibet enim est jus ad resistendum injuriae, & impediendum defendendumque*. Eademque est sententia Innocentii IV. & Hostiensis (*b*), Cardinalis Turrecrematae (*c*), Silvestri (*d*), Jacobatii (*e*), Victoriae (*f*), & Cordubensis (*g*); Scilicet parendum non esse Rescriptis Papae, si ita Canones & disciplinam violent, ut in apertum Christianae Reipublicae detrimentum cedant, aut si eis status Ecclesiae perturbaretur, aut *insigniter decoloraretur*. Quod tamen, ut sapienter monet Illustrissimus Petrus de Marca (*h*), sic interpretandum est „ ut inde argui „ non possit defectus auctoritatis in „ summo Pontifice, sed *defectus in-* „ *tentionis*, ut loquuntur nostri. Nec „ enim existimandum est, ab illa Se- „ de, quae paternarum regularum, „ & juris & aequi custodiam ab aliis „ exigere solet, alienas a commo- „ dis Ecclesiae institutiones consulto „ proficisci. Etsi enim legibus ce- „ teris non teneretur, a rectae ra- „ tionis legibus solvi non potest: „ Quare ita se gerere solet & de- „ bet, ut praemittat *clavem discre-* „ *tionis ante clavem potestatis*, quem- „ admodum loquitur Innocentius „ IV. (*i*). Profecto si Reges ipsi ac Principes saeculares a suorum exsecutione decretorum desisti jubent, aut id velle censendi sunt, si jus violetur, aut damnum ex eis Reipublicae exsistat: quanto magis judicare ac praesumere debemus, eam esse Romanorum Pontificum voluntatem, si aliquando eis excidat, quod sanctiori disciplinae legibusque, ubi reapse floreant ac vigeant, officere videatur? Tradit Plutarchus in Apophtegm. *Aegyptiorum Reges legem quamdam suam servasse, qua juramento obstringunt judices, ut Rege ipso injuste flagitante sententiam, ei morem non gerant*. Atque ejusdem generis est quod Imperatores Theodosius & Valentinianus statuerunt (*k*): *Rescripta contra jus elicita ab omnibus judicibus refutari praecipimus, nisi forte aliquid, quod non laedat alium, & prosit petenti, vel crimen supplicantibus indulgeat*. Quorum exempla

(*a*) Tract. de auct. Papae cap. XXVII.
(*b*) In C. *Quant.* de consuet.
(*c*) Lib II. de Eccles. cap. CVI.
(*d*) In summa, verbo *Papa* §. XV.
(*e*) Lib. VIII. de Conciliis art. XII.
(*f*) De Potest. Papae & Conc. Prop. VII.
(*g*) De potest. Papae Quaest. VIII.
(*h*) Lib. III de Conc. Sacr. & Imp cap. XV. num. IX.
(*i*) In C. *Quanto* de Jurejur.
(*k*) Cod. Lib. I. Tit. XIX. *De precib. Imperat. offerend.* Leg. I.

pla imitatus esse videtur Sanctus Hilarus Papa (*a*), quem, ut recte monet Bossuetius (*b*), ceteri longo ordine consequuntur: *Nihil adversum venerandos Canones, nihil contra sanctae memoriae Decessoris mei judicium valeat, quidquid obreptum nobis esse constiterit*. Haec ergo, ut cum saecularium Principum, ita & cum Romanorum Principum, absoluta potestate cohaerent; dum tamen illud addatur, quod si Reges aut Pontifices, in iis quibus justitia, fides ac pietas manifeste non laeditur, diserta suae voluntatis significatione declarent, novis Rescriptis obesse praecedentes leges aut Canones non debere; ac si auditis etiam contrariis rationibus, in eadem voluntate persistant, eis omnino parendum sit. Quoniam, ut vel ipsa Basileensis Synodus, quamquam absolutae Romanorum Pontificum potestati quam maxime infensa, professa est: *Per Concilium* (etiam generale) *statuta in nullo derogant suae potestati, quin pro tempore, loco, caussisque & personis, utilitate vel necessitate suadente, moderari dispensareque possit, atque uti summi Principis ἐπιεικεία, quae ab eo auferri nequit*. Sed & longe ante, Concilium Lugdunense II sub Gregorio X. celebratum, ad Romani Pontificis arbitrium (quod & Illustrissimo Petro de Marca [*c*] observatum est) retulerat de dispensationum, ut vocant, sufficientia disquirere [*d*], & *aestimare, quemmodum beneficii sui Pontifex esse voluerit*. Quod certe egregie probat; suo Romanos Pontifices judicio uti in Ecclesiae Catholicae gubernatione.

Si ita est, inquis, explodenda deinceps erit eorum opinio, qui Ecclesiasticam Monarchiam haud puram & simplicem, sed Aristocratia temperatam esse decernunt: Quae tamen sententia nostrorum quoque Theologorum calculo commendatur (*e*). In promtu obvia responsio est, dum Reipublicae statum ab imperandi ratione distare plurimum observemus (*f*). Nam Reipublicae status regalis esse potest, gubernatio tamen popularis futura est, si Rex omnia imperia, curationes, poenas item ac praemia omnibus ex aequo distribuat: si vero Princeps imperia, honores, Magistratus Patritiis, vel divitibus, vel fortibus, vel studiosis tantum impertiat, regia potestas erit, & quidem simplex & pura, sed Aristocratica ratione temperata. Ita quoque Optimates pauci Rempublicam populari modo regere possunt, si cives omnes omnium Magistratuum participes fecerint: aut Aristocratice, si paucis quibusdam, qui aut virtute, aut censu, aut nobilitate ceteris praestent. Quae diversitas eos in errorem impulit, qui Respublicas plu-

(*a*) Epist. IV. Tom. V. Conciliorum.
(*b*) Lib XI Defens. cap. X.
(*c*) Ubi supra num. III.
(*d*) C. *Ordinarii*. de offic. ordin. in 6.
(*e*) Bellarmin. Lib I de Rom. Pontif. cap. III.
(*f*) Bodin. Lib. II. de Repub. cap. II.

plures tribus erroris opinione sibi finxerunt. Atque hoc sensu Bellarminus aliique ex nostris admittunt, esse in Ecclesia ,, regimen temperatum ex omnibus tribus formis; ,, videlicet summi Pontificis Monarchiam; atque Episcoporum (qui ,, veri Principes & Pastores, non ,, Vicarii Pontificis maximi sunt) Aristocratiam: ac demum suum quemdam in ea locum habere Democratiam, quum nemo sit ex omni ,, Christiana multitudine, qui ad Episcopatum vocari non possit, si tamen dignus eo munere judicetur. Quo etiam referri potest quod alii docent (a), distinguendam esse Reipublicae formam a modo gubernationis: qui si diligenter spectetur, ut quidam ait (b), comperiemus, nullum esse imperium tam Monarchicum & absolutum, quod non quamdam speciem Aristocratiae referat. Quoniam & Reges, qui libero & absoluto imperio fruuntur, Consiliarios habent, cum quibus graviora negotia communicant, & a quibus sua Decreta probari & firmari volunt. Quod ergo Monarchicum Ecclesiae regimen Aristocratico temperatum esse dicatur, non inde profecto sequitur, liberum illud & *absolutum* non esse. Verum Adversarii, uti capite secundo demonstratum est, non temperationem reapse cogitant, sed mixturam, unde forma Reipublicae exsistat plane irregularis, quam plurima consequi incommoda necesse sit, quaeque ad procurandam & fovendam Ecclesiae pacem, quam Christus maxime cordi habuit ac vehementissime commendavit, qualibet simplici forma minus apta & idonea videatur; ut inter simplices formas Monarchia simplex ac pura, omnium judicio, accommodatissima est: quam proinde in Ecclesia Christum instituisse existimare debemus, quo invicta Romani Pontificis auctoritate omnia Ecclesiae membra tanquam firmissimo vinculo contineret; utque illius judicio universum hoc Christianae Reipublicae corpus velut una mente ac spiritu regeretur. *Unum est* enim, multo magis quam olim Romanae, Christianae *Reipublicae corpus* (c), *atque* adeo *unius animo regendum*.

CAPUT II.

,, Exponitur tertium Caput Gallicanae Declarationis: hujusque duae partes: id probandum suscipitur, Ecclesiasticam disciplinam, sive universam sive particulares spectet Ecclesias, in Romano Pontifice regi adhibitis regulis, sive universim sive particulatim receptis.

QUum tota haec controversia luculenter, ut mihi videtur, superiore Dissertatione a me exposita fuerit, inde peti commode ac facile possunt, quae singulis Meldensis Episcopi objectis confutandis opportuna sint. Quamobrem ejus de hoc argumento disputationem levius percurram;

(a) Puffendorf. lib VII. de J. N. &. G. cap. V. §. XII.
(b) Hobbes de Cive Sect. II. cap. VI. num. XIII.
(c) Asinius Gallus ap. Tacit. Annal. Lib. I. cap. XII.

ram; brevibus ut plurimum ad ea loca notis adjectis, quae specialem aliquam difficultatem adferre videbuntur, quaeque nativo sensui reddenda erunt, ut cum nostro systemate concilientur. Hoc porro unum in praesenti capite observo, hujus effati, quo tertius Gallicanae Declarationis articulus continetur: *Apostolicae potestatis exercitium & usum Canonibus moderandum*; auctorem laudari Johannem Gersonem. Nec sane immerito, si ad eum sensum respiciatur, de quo inter nos & Gallicanos Theologos disceptatio est. Quamquam enim id semper ipsis Romanis Pontificibus persuasum fuerit, nempe ad Canonum normam dirigendam esse Ecclesiae gubernationem; primus tamen Gerson, aut inter primos, hanc legem seu generalem Propositionem ex superiore generalium Conciliorum auctoritate derivavit. Unde alius sensus ejusdem propositionis exstitit, quam quo olim innoxie usurpari potuisset. Nemo enim Theologorum unquam dubitavit, Canonum directioni subjectos esse Romanos Pontifices: quemadmodum & Principes summi suis & Reipublicae legibus obnoxii sunt, quod ad vim pertinet directivam; licet ad earum observantiam, quum summi sint, cogi a superiore potestate non possint (a). Atque idem de Romanis Pontificibus constanter adfirmamus. Quum enim summum in Christiana Republica fastigium teneant, compelli ad Canonum observantiam superiore auctoritate non possunt: ad eorum tamen custodiam & tuitionem naturali ac divino jure tenentur. Gersonianum itaque illius Propositionis sensum improbamus, atque illa imprimis eum improbandi nobis suppetit ratio, quod ejus auctor Gerson perhibetur, cujus adeo opinionis non nisi sub initium saeculi XV. inter Catholicos semina jacta sunt. Novimus autem ex Tertulliano (b), *id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum*.

CAPUT III.

„ Ecclesia Romana iisdem Canonibus
„ regit Ecclesias, quibus ipsa re-
„ gitur. Probatur ex Romanis
„ Pontificibus.

Omnia fere, quae Illustrissimus Aversarius in hoc Capite adfert Romanorum Pontificum testimonia, in praemissa Dissertatione cap. IV. adlata etiam a nobis & excussa sunt; ac demonstratum est, paria his loca passim occurrere, quibus Imperatores aliique Reges ac summi Principes professi identidem sunt, & ab eis ad legum praescriptum esse Rempublicam gubernandam. Nec tamen inde consequens est, Principes summos legum humanarum aut Reipublicae potestati subjacere.

C A-

(a) Vid. S. Thom. 1. 2. Quaest. XCV. art. V. ad 3.
(b) Lib. de Praescript. cap. XIII.

CAPUT IV. &c.

„ Idem probatur ex Gestis sub Bo-
„ nifacio II. & ex Concilio Ro-
„ mano sub Johanne IX. de Trans-
„ lationibus.

EA pariter, quae in hoc & sequenti capite Meldensis Episcopus exempla profert, id unum egregie demonstrant, de quo nulla nobis cum Gallis Theologis controversia est. Nimirum summam semper fuisse pro Canonum observantia Sedis Apostolicae Romanorumque Pontificum religionem; adeo ut si quid eis unquam humana infirmitate obreptum fuerit, quo Canones violarentur aut indebite solverentur, vel ipsi statim, vel eorum Successores id emendare & corrigere studuerint. Cujusmodi & in civilibus Historiis similis Imperatorum aliorumque summorum Principum in publicas leges observantiae ac religionis exempla passim occurrunt.

Haec autem non eo pertinere, ut si quid unquam ea in re ab Ecclesiae Romanae Praesulibus peccatum fuerit, propterea humano debeant subjacere judicio; haec, inquam, non eo pertinere, ea Stephani V. verba demonstrant ad Basilium Imperatorem super Marini ordinatione, quam ut minus canonicam temere insimulabat, scribentis: *primam Sedem a nemine judicari*. Quod quamquam ad particularem Synodum, qualis, inquit, adversus Marinum Constantinopoli congregari potuisset, Illustrissimus Adversarius referendum esse contendat; nullam tamen cur generalem propositionem sic coarctandam esse definiat, rationem adfert. Nos autem ex eadem Epistola loca proferre possumus, quibus probetur, eamdem esse Romanorum Pontificum in Ecclesia, atque tunc erat Imperatorum in Republica potestatem: *Quemadmodum*, inquit, *vobis rerum temporalium principatus a Deo est traditus: ita nobis per coriphaeum Apostolorum Petrum rerum spiritualium principatus .....* *Audi Dominum ad Petrum dicentem*: Tu es Petrus, & super hanc petram &c. *De credito nobis ministerio quid porro addit?* Tibi dabo claves regni caelorum; *& quae sequuntur*. Et paullo inferius adjungit, eumdem Apostolorum Principem fontem esse omnium Ecclesiasticarum dignitatum; nimirum quemadmodum civilium Magistratuum Imperator: *Omnium enim in orbe terrarum ordo & Pontificatus Ecclesiarum a Principe Apostolorum Petro originem accepit; per quem & nos sincera & incorrupta doctrina instituimus omnes & docemus*.

CAPUT VII.

„ Concilium Mosomense: Rodulphi
„ Glabri locus: Concilium Ansa-
„ num: de eo Anonymi respon-
„ siones. De exemptionibus obi-
„ ter: Petri Venerabilis & S. Ber-
„ nardi loci. An Monachis Clunia-
„ censibus profuerit, quod Roma-
„ num Pontificem peculiarem Epi-
„ scopum habere vellent.

JAmdiu erat quod Hugo & Artaldus ob Remensem Cathedram acerrime digladiabantur. Agapitus II. Romanus Pontifex Robertum Episcopum

pum Trevirensem legationis suae munere auxerat, ut gravissimam & difficillimam caussam Sedis Apostolicae auctoritate dirimeret. Qua ille fretus, Synodo Virduni habita, Remensem Episcopatum Artaldo adjudicaverat, aliamque ad proximum Januarium Synodum apud Mosomum celebrandam indixerat. Interim vero Hugo quemdam suum Clericum Sigeboldum Romam direxerat cum litteris velut omnium Provinciae Remensis Episcoporum nomine ad Pontificem datis, quibus Artaldum expelli, Hugonem restitui postularent. Quibus acceptis Agapitus, nec fraudem suspicatus, eas ad Episcopos litteras dedit, quas idem Clericus ad Mosomense Concilium adtulit, *nihil* ut ipse narrabat Artaldus (a), *auctoritatis canonicae continentes, sed hoc tantum praecipientes, ut Hugoni Remensi redderetur Episcopium*. „ Hoc nostris, inquit Bossuetius, novum & insolens videbatur: quippe a consuetudine Romanae Ecclesiae alienum. Subjungitque sequentia ex Flodoardo verba, quae ut suo proposito melius congruerent, insigniter detruncavit. „ Pergit Flodoardus: *Quibus recitatis, ineuntes Episcopi consilium cum Abbatibus & ceteris qui aderant sapientibus, responderunt, ut quod regulariter coeptum fuerat, canonice pertractaretur*. Haec ex Flodoardo Illustrissimus Adversarius absque ulla interpunctione describit, qua, ut fieri solet, aliquid omissum esse significetur. Ita enim habet Flodoardi locus: *Quibus recitatis &c. responderunt, non esse dignum vel congruum, ut mandatum Legationis Apostolicae, quam dudum Rotbertus Archiepiscopus, deferente Friderico Praesule Moguntiacensi, coram Regibus & Episcopis tam Galliae, quam Germaniae, susceperat, & partem jam praeceptionis ipsius exegerat, propter illas litteras intermitteret, quas insidiator Artaldi Praesulis exhibebat. Imo quod regulariter caeptum fuerat &c.* Ex iis ergo, quae Meldensis Episcopus omittenda duxit, habemus: Galliae & Germaniae Episcopos insistere maluisse publicis ac sollennibus litteris per Moguntinum Episcopum Trevirensi oblatis, quibus huic ad hoc negotium dijudicandum Apostolica Legatio injungebatur, quam privatis litteris, quas malo dolo veterator elicuerat, nihilque canonicae auctoritatis continebant; hoc est, ut ego hunc locum interpretandum existimo, nullas ex iis notis praeferebant, quibus insigniri solent publicae ac sollennes Sedis Apostolicae litterae, quibus vis ac robur canonicae auctoritatis inest: cujusmodi erant quae primum ad Trevirensem Archiepiscopum directae fuerant. Ceterum quam illi auctoritatem ac potestatem ad hanc caussam supremo ac peremtorio judicio definiendam in Romano Pontifice agnoverint, ex eo liquet, quod sententiam Virdunensis Concilii solum usque ad futuram generalem Synodum confirmarunt: reque per Artaldum ad Agapitum delata, hic Marinum, in Gallias direxit, qui eidem Synodo Apostolica auctoritate praeesset. Qua apud Engilenheim coacta, Marinus *chartam suae Legationis honorifice protulit*: qua

(a) Apud. Flod. in Chron. & in Hist. Remens. Lib. IV. cap. XXXV.

qua ... significatum est, eum ab ipso universali Papa tali tenore ad nostros fines directum fuisse, quo in omni Ecclesiasticarum legum discussione ipsius existens Vicarius, quaecunque liganda essent Apostolica auctoritate ligaret; & quae solvenda viderentur, parili solveret potestate. Quibus verbis summam sibi Agapitus in interpretandis Ecclesiasticis legibus potestatem vindicabat. Ea vero Germaniae Galliaeque Reges & Episcopi cum universo Clero summo cum gaudio & veneratione, *ut dignum fuit*, exceperunt, ac se *in omnibus consentire & obedire professi sunt*. „ Sic Germa„ ni [ut Meldensi Episcopo sua ver„ ba reddam] sic Galli Episcopi judi„ cabant.

Pergit Illustriss. Auctor: „ Notum „ illud neque omittendum Rodulphi „ Glabri de Episcopis Gallicanis ae„ gre ferentibus Cardinalem a Jo„ han. XVII. delegatum, ut Roma„ ni Pontificis auctoritate Basilicam „ in agro Turonico a Fulcone Ande„ gavensi Comite constructam conse„ craret: quod Hugo Turonensis Ar„ chiepiscopus ex causis canonicis fa„ cere recusasset. Qua de re Gla„ ber haec scribit (a): *Quod utique audientes Galliarum Praesules, praesumtionem sacrilegam cognoverunt ex caeca cupiditate processisse*. Ac rursus: *Licet Pontifex Romanae Ecclesiae ob dignitatem Sedis Apostolicae, ceteris in orbe constitutis Episcopis reverentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem*. Denique, *universi pariter detestantes, quoniam nimium indecens videbatur, ut iis qui Apostolicam regebat Sedem, Apostolicum penitus ac canonicum transgrediatur tenorem*. „ Itaque turbinem repente coortum, „ quo concussa Basilica, ac disturba„ ta consecratio est, divino judicio „ imputarunt an. MIV. Sunt qui Ro„ dulphum Glabrum falsi convictum „ putant, tabulis ab Illustrissimo Pe„ tro de Marca summatim relatis. „ Atqui Vir doctissimus his tabulis „ Glabrum non confutatum, sed il„ lustratum voluit. Deinde, has ta„ bulas visas lectasque oportet inte„ gras, antequam candidissimo hujus „ aevi Historico detrahamus fidem. „ Denique, utcunque est, ejus te„ stimonio firmatum videmus, de „ observando etiam a Romano Pon„ tifice canonico ordine, communem „ Ecclesiae Gallicanae sensum.

Inter alios, qui Rodulphum Glaberum falsi convictum putant tabulis ab Illustrissimo Petro de Marca relatis, Nat. Alex. mihi praesto est, ex quo ea excerptam, quae expediendae huic difficultati sufficere videntur. Rem, inquit [b], aliter gestam esse quam narret Glaber, nec Pontificem aliquid tentasse contra Canones, nec Turonensi Archiepiscopo repugnante, factam esse Bellilocensis Ecclesiae consecrationem, docent ipsius Johannis XVIII. & Sergii IV. Diplomata ex chartophilacio ipsius Abbatiae descripta, & edita a Clarissimis Sammarthanis fratribus Tomo IV. Galliae Christianae pag. 150. & 151. (c). Ex iis, inquam, disci-

mus,

(a) Lib II. Histor. cap. IV.
(b) Syn. Hist. Eccles. Saec. XI. & XII. cap. I. art. I.
(c) Vid. & Tom. I. pag. 755. & seqq.

mus, Johannem oblatum a Fulcone Comite Monasterium Belliloci, S. Trinitati, & SS. Cherubim atque Seraphim memoriae devotum, sub tuitione Romanae Ecclesiae suscepisse, interdixisseque omnibus Episcopis, ne quam ibi jurisdictionem exercerent .... „ Privilegii illius insoliti Re- „ scriptum Hugonem Archiepisco- „ pum Turonensem commovit. Qui „ Romam accedens, submissis preci- „ bus a Sergio IV. Johannis Successo- „ re contendit, ut Monasterii con- „ secrationem sibi juxta Canones & „ Justinianam legem permitteret. Sed „ repulsus fuit hac exceptione, quod „ Fulconi liberum fuerit in fundo suo „ propriaque haereditate Monaste- „ rium construenti Monasterium ipsius- „ que consecrationem Romanae Eccle- „ siae conferre: quia *cujus est hereditas*, „ *ipsius & consecratio*. Quare Hugo „ accepta e manibus Gregorii Silvae „ Candidae Episcopi virgula, jus omne „ quod sibi competebat, in Romanam „ Ecclesiam transtulit. Sergius vero „ Petrum Vipernensis Ecclesiae Epi- „ scopum in Gallias direxit, Eccle- „ siam illam vice sua consecraturum. Verba sunt Illustrissimi ac doctissimi Archipraesulis Petri de Marca, hanc historiam ex veteribus tabulis Monasterii Belliloci referentis (*a*).... Sed corrigendus praecipue Glaber, qui se Juris ac verae Theologiae haud satis peritum ostendit, cum Romanum Episcopum in aliorum Praesulum Dioecesibus munia Episcopalia exercere non posse asserit, nisi ipsis permittentibus. Longe aliter & verius sensit S. Bernardus ad Eugenium scribens (*b*): *Tu potestate Petrus, unctione Christus .... sunt & alii gregum Pastores ..... Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: Tibi universi crediti, uni unus. Non modo ovium, sed & Pastorum tu unus Pastor*. Pasce oves meas, *inquit*. *Quas? Illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Cui non planum est non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil* ...... Glabro Monacho multa alia opponi possent, quae non sunt hujus loci: satis erit addere Johannis Gersonis Academiae Parisiensis Cancellarii verba in ipso Opusculo, quod inscripsit *de Auferibilitate Papae*, Consideratione VIII. „ Nullam aliam Politiam „ instituit Christus immutabiliter Mo- „ narchicam & quodammodo Rega- „ lem, nisi Ecclesiam. Et oppositum „ sentientes de Ecclesia, quod fas „ est esse plures Papas, aut quod „ quilibet Episcopus est in sua Dioe- „ cesi Papa, vel Pastor supremus „ aequalis Papae Romano, errant in „ fide & unitate Ecclesiae contra „ articulum illum: *& unam sanctam &c.* Et si pertinaces maneant, „ judicandi sunt haeretici, sicut Mar- „ silius de Padua, & quidam alii. Haec obiter dixisse sufficiat, ne ultra Historiae metas divagemur. Haec Nat. Alex.

His addam, Ex Sergii IV. Diplomate (utcunque de Glabriana fabula statuatur) aperte liquere, Hugonem Archiepiscopum Turonensem,

(*a*) Lib. IV. de Conc. Sac. & Imp cap. VIII. num. II.
(*b*) Lib. II. de Considerat. cap. VIII.

errorem suum agnovisse, palamque in Romano Conventu professum ac deprecatum esse (a): *Igitur Hugo Archiepiscopus cernens se nullum verum aut rectum habere, & qualiter nos eum perdere deberemus, minime posse ostendere, mox profiteri, & dicere coepit, se peccasse, errasse, & coram Omnipotentem Dominum, & nostram Sanctam Romanam Ecclesiam nimis deliquisse, eo quod injuste, & absque aliqua ratione nobis exinde litigasse*. Huc etiam pertinent quae infra ex S. Bernardo referemus.

Objicit deinde Illustrissimus Adversarius Concilium non multo post Ansae in agro Lugdunensi celebratum. „ Ibi, *inquit*, Gaulenus Episcopus „ Matisconensis gravem expostulatio„ nem habuit de ordinatione Clu„ niacensium Monachorum a Burchar„ do Viennensi facta, vi privilegii, „ quod Cluniacenses habebant a Ro„ mana Ecclesia &c.

Rem ego totam ex candidissimo Historico Johanne Mabillonio describam, cujus haec sunt verba in Elogio S. Odilonis Abbatis §. VII. (b): Tantus Pontificum & Principum erga B. Odilonem ac Cluniacenses affectus cohibere non potuit Monachorum aemulatores, quin eis negotia facesserent, tum ob temporalium bonorum possessiones, tum ob privilegia eis concessa, quae nonnulli convellere totis viribus conati sunt ..... Concesserant quippe Pontifices Romani privilegia Cluniacensibus, quibus ex Willelmi conditoris testamenti praescripto, ac Regum & Principum concessu, immunitas omnimoda Monasterio Cluniacensi asserebatur. Scilicet ut Monachi Cluniacensis Monasterii a quocunque Episcopo, prout Abbati placeret, ordinari possent; nec quidquam juris in loco illo haberet Episcopus Matisconensis, imo nec nisi ab Abbate invitatus illuc accedere posset. Haec diserte habentur in Bulla Gregorii V. quae a subsequentibus Pontificibus confirmata fuerunt. Privilegiis illis munitus Odilo Burchardum Viennensem Archiepiscopum invitavit, ut ordinationes apud Cluniacum celebraret. Quod cum ille fecisset, graviter conquestus est Gauslenus Matisconensis Episcopus adversus eum, remque detulit ad Synodum Ansanam, cui anno MXXV. habitae inter alios Pontifices intererat quoque Burchardus. Qui cum a Gausléno ea de re coram Patribus accusaretur, culpam omnem in Odilonem rejecit. Accersitus itaque S. Abbas, cum aliquot e suis Monachis comparuit, protulitque in medium privilegia, quae modo recensebamus, queis licitum est Abbati Cluniacensi, ut posthabito Matisconensi Episcopo, quemcunque mallet Episcopum posset accersere ad celebrandas in Monasterio Cluniacensi ordinationes. At Patres, qui ibi aderant, lectis Synodi Chalcedonensis Canonibus, aliisque antiquorum Conciliorum decretis, censuerunt eis praeponi non debere quod obtendebatur ab Odilone privilegium. Quare Burchardus a Gausleno obtenta venia, pollicitus est, se quamdiu in vivis ageret, tantum olei

(a) Tom. I. Galliae Christ. pag. 757.
(b) Acta SS. Ord. S. Bened. Saec. VI. Par. I.

olei ei praestiturum, quantum pro Chrismate sacro singulis annis conficiendo opus esset. Ea fuit occasio, ni fallor, cur Johannes XIX. Romanus Pontifex ad Gauslenum, tum etiam ad Burchardum Lugdunensem litteras scripserit, eos graviter reprehendens, quod Monasterium Cluniacense speciali Apostolicae tuitioni commissum, & Odilonem sanctissimum Abbatem vexarent. Defuncto tamen paullo post Gausleno, vestigiis ipsius institit Walterius ejus successor, ut narrant Petrus a S. Juliano, aliique passim Scriptores. Unde ansam sumsit, uti videtur, idem Johannes Pontifex Roberto Regi scribendi adversus eos Sacerdotes, qui privilegia per Sedem Apostolicam Cluniacensi Monasterio concessa convellere tentabant. Immo rem ad Synodum, quae Romae anno MXXVII. habita est, delatam fuisse, patet ex ejusdem Pontificis epistola ad universos Fideles, in qua confirmatis de consensu adstantium Pontificum Monasterii Cluniacensis privilegiis, praesente etiam Conrado Imperatore paullo antea coronato, prohibet, ne quis Monachos Cluniacenses excommunicare audeat, aliaque fusius exponit quae videri possunt in Bullario Cluniacensi pag. 9. ceterum haec controversia saepius postea sub Odilonis successoribus recruduit: sed quid tandem ea occasione, in Concilio Remensi sub Callixto II. statutum fuerit, legesis apud Ordericum Vitalem. De eadem Synodo differit etiam idem Cl. Auctor in Annalibus Benedictinis, ubi inter cetera haec habet (a): non tenuit haec Synodi definitio, quae juris tantum communis est, eaque libertas a subsequentibus Romanis Pontificibus, praesertim a Johanne XIX. Urbano II. & Callixto item II. in Concilio Remensi, ut suis locis videbimus, asserta est Cluniacensi Monasterio, ut ejus Monachi a quovis Episcopo ordinari possint.

Egregia profecto sunt, neque hic prorsus omittenda, quae apud laudatum a Mabillonio Ordericum Vitalem, Johannes Cremensis Cardinalis in mox memorata Remensi Synodo pro Cluniacensium privilegiis, & Sedis Apostolicae in eis concedendis auctoritate disseruit. Primum enim statuit: „ decere ac justum esse, ut Papa in Parochiis vestris (sic ille Gallicanos Episcopos adloquebatur) „ aliquid proprietatis possideat, Ecclesiamque, „ seu domum, vel aliquam possessionem, sua electione, sine Fidelium „ oblatione, liberam habeat. Quod ubi *ab omnibus*, inquit laudatus Historicus *gratanter concessum est*, consequenter *Johannes adjecit*, annos jam amplius ducentos praeteriisse, ex quo Cluniacensis Ecclesia ab ejus fundatore Willelmo Comite Aquitanico Sedi Apostolicae oblata, variisque a Romanis Pontificibus privilegiis exornata fuerat. Subjunxitque: „ Omnis credentium multitudo credit ac perhibet, quod qui Apostolicae Sedi „ jubente Deo praesidet, ligandi „ atque solvendi potestatem habet. „ Principis enim Apostolorum Petri „ Vicarius est, cui divinitus dictum „ est: *Tu es Petrus &c.* Ergo Apostolica Sedes caput omnium Eccle- „ siarum

(a) Lib. LV. num. LXXV.

„ fiarum a Domino, & non ab alio, „ constituta est: & ficut cardine ostium „ regitur, sic Apostolicae Sedis au- „ ctoritate omnes Ecclesiae Domino „ disponente reguntur ... Quis ei „ resistere potest, cui tanta potestas „ a Domino concessa est? Quis au- „ det solvere quem Petrus ligavit, „ five ligare quem ipse absolvit? „ Igitur quum Cluniacensis Abbatia „ soli Papae subjiciatur, & ille qui „ praecipiente Deo in terris super „ omnes est, ipsam patrocinetur; „ Romana auctoritas Cluniacensium „ privilegia corroborat, & in virtute „ Dei omnibus Ecclesiae filiis im- „ perat, ne quis eos temere pristina „ libertate privet &c. Haec ille in praedicto Concilio Remensi, quod Callixtus II. qui olim Guido Viennensis Archiepiscopus fuerat, *de Italia & Germania*, ut habet idem Ordericus Vitalis, *de Gallia & Hispania*, *de Britannia & Anglia*, *de Insulis Oceani & cunctis Occidentalibus provinciis*, congregaverat: pervicitque, ut immota & inconcussa manerent Cluniacensium privilegia, quae olim Ansana Synodus sollicitare ausa fuerat.

Eadem privilegia haud multo post vindicavit etiam Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, cujus verba refert Cl. Mabillonius in Elogio S. Odonis §. IV. num. 19. (a) agens *de libertatis praerogativa, quam Cluniaco rogatu Willelmi conditoris sui primum, dein Abbatum, Romani Pontifices contulerunt*. Quem doctissimi Viri locum hic adtexere haud abs re fuerit: „ Callixtus Papa II. „ in litteris suis Pontio Abbati in- „ scriptis ait, privilegium hoc Clu- „ niaco fuisse concessum *ab ipso fun-* „ *dationis suae exordio*; memorat- „ que Pontifices, qui illud confir- „ marunt, nempe Johannem XI. item „ Johannem XII. Agapitum II. Leo- „ nem IX. Gregorius VI. ac VII. „ Alexandrum II. Stephanum X. „ Victorem III. Urbanum II. Pa- „ schalem II. & Gelasium II. Unde „ Petrus Venerabilis quibusdam obji- „ cientibus, quod Cluniacenses pro- „ prium non haberent Episcopum, „ Romanum sibi proprium esse re- „ spondet: *Hunc unum*, inquit (b), *solum & maximum nos habere Episcopum gloriamur .... Hoc ipsius sanctae Sedis* IRREFRAGABILIS SANXIT AUCTORITAS, *nec unius tantum sed multorum Decreta inde apud nostram matricem Ecclesiam conservantur. Haec ipsi ita condiderunt, non ut hanc, de qua loquimur, Cluniacensem Ecclesiam alteri Episcopo prius eam possidenti auferrent: sed a fundatoribus, qui eam in proprio alodio construxerant, rogati, in propriam retinuerunt, atque soli Romano Pontifici eam in aeternum subjacere decernentes pluribus hoc privilegiis confirmaverunt .... Hoc non soli Cluniacenses obtinent, sed & quampluribus datum cernimus: & longe ante Cluniacum conditam multis aliis Monasteriis ab eadem Apostolica Sede concessum videmus*.

Venerabili Abbati objicit Illustrissimus Adversarius S. Bernardum, ait-

(a) Acta SS. Ord. S. Bened. Saec. V.
(b) Lib. I. epist. XXVIII.

aitque: „ Nunc Lector viderit, Pe-
„ trine Cluniacensis an Bernardi Cla-
„ raevallensis potior sit auctoritas.
„ Paucos equidem esse existimo, qui
„ Petro non anteponant Bernardum
„ accusantem eos, qui hac specie ab
„ Episcoporum auctoritate recesserant.

At nos imprimis ut Bernardum Petro anteponimus, ita Bernardo anteponimus tot Romanos Pontifices, quorum, ut ajebat, *irrefragabilis auctoritas* ipsi in hac caussa suffragabatur. Deinde, quod ad S. Bernardum pertinet; notanda haec sunt sanctissimi Abbatis verba in eo ipso loco, qui nobis objicitur (a): *Nonnulla tamen Monasteria, sita in diversis Episcopatibus, quod specialius pertinuerint ab ipsa sui fundatione ad Sedem Apostolicam, pro voluntate fundatorum, quis nesciat? Sed aliud est quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis*. Ex quibus verbis duo magni momenti colligimus. Primum est, haud improbasse S. Doctorem exemptiones & privilegia Monasteriis ab ipsa fundatione ex fundatorum voluntate concessa; atque adeo sanctissimi Abbatis auctoritate reprimitur Rodulphi Glabri & Ansanae Synodi praesidentia, qui talia privilegia reprehendere atque convellere aggressi sunt. Alterum est „ S. Bernardum,
„ ut etiam Nat. Alex. animadver-
„ tit (b), quantumvis exemtiones
„ Monasteriorum ambitione quaesitas
„ improbaverit, illas tamen legiti-
„ mas agnovisse, quae necessitatis
„ aut communis utilitatis intuitu a
„ Sede Apostolica concedebantur.

Est etiam tertio loco observandum, quod quamquam S. Bernardus privilegia & exemtiones ambitione quaesita, & nullo communis utilitatis intuitu, sed pro arbitrio & sola Pontificis voluntate concessa, improbat, ab eisque in posterum concedendis Eugenium deterrere conatur; non ea tamen ratione, quod superiori Canonum potestati Pontificia obnoxia sit, & haec per illam coërceatur; sed quia rectae rationis, justitiae & caritatis, sive juris naturalis ac divini legibus, & ipsi Romani Pontifices subjiciuntur. Hunc enim sensum aperte referunt sequentia SS. Doctoris verba: *Sic factitando, probatis vos habere plenitudinem potestatis: sed justitiae forte non ita. Facitis hoc quia potestis, sed utrum & debeatis, quaestio est*. Et infra: *At quomodo non indecens tibi voluntate pro lege uti; & quia non est a quo appelleris, potestatem exercere, negligere rationem?* Agnoscebat ergo S. Bernardus in Romano Pontifice potestatem, cui resisti, a qua appellari non posset, si Canones violasset; idque unum contendebat, non debere illum in Legibus Ecclesiasticis relaxandis, aut ordine disciplinae invertendo, voluntate pro lege uti: id enim rationi, id justitiae, id caritati adversari, quae illae pluribus in hoc Capite ac vehementer exaggerat; sed quae tamen omnia talia sunt, ut etiam ad quoscunque summos Principes suo quodam modo aptari possint, qui absque judicio & pro solo arbi-

(a) Lib. III. de Consid. cap. IV.
(b) Hist. Saec. XI. & XII. cap. VII. art. VIII. num. XVII.

arbitrio legum vigorem infringant.

CAPUT VIII.

„ Concilium Lemovicense II. Gre-
„ gorius VII. Romanorum Ponti-
„ ficum & Episcoporum concors
„ professio de regendo & obedien-
„ do secundum Canones.

Nihil omnino est cur circa praesens caput immoremur. Nam quod pertinet ad veterem illam Romanorum Pontificum Professionem, actum nobis de illa est in praemissa Dissertatione capite ultimo. Si autem sese ad Canonum praescriptum Ecclesiam regere Romani Pontifices profitentur; consequens est ut & Episcopi eam quam Canones exigunt, praestent Romanis Pontificibus obedientiam; ac proinde plenam omnimodam & absolutam; quemadmodum egregie S.Bernardus epist.131.ad Mediolanenses argumentatur: *Sed dicit aliquis: Debitam ei reverentiam exhibebo, & nihil amplius. Esto, fac quod dicis. Quia si exhibeas debitam; & omnimodam. Plenitudo siquidem potestatis super universas orbis Ecclesias singulari praerogativa Apostolicae Sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest, eos qui sunt alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, & e converso, si necesse visum fuerit. Potest a finibus terrae sublimes quascumque personas Ecclesiasticas evocare & cogere ad suam praesentiam, non semel aut bis, sed quoties expedire videbit. Porro in promtu est ei omnem ulcisci inobedientiam, si quis forte reluctari conatus fuerit.* Quibus quaeso, efficacioribus verbis S. Doctor describere potuisset Romani Pontificis potestatem nullius omnino judicio subditam, nullis legibus circumscriptam? Quamquam ergo & Romani Pontifices ad Canonum normam Ecclesiam regere, & Episcopi canonicam illis obedientiam praestare teneantur; inde profecto consequens non est; aut Romanis Pontificibus potestatem non esse ad Canones, *prout* illis *ratio dictaverit*, relaxandos; aut fas esse Episcopis de Romanis Pontificibus Canones relaxantibus judicare. Nam & ipsi Canones eam potestatem Romanis Pontificibus confirmarunt; & hoc judicium ceteris Episcopis illicitum pronuntiarunt. Quo loco egregie faciunt haec S. Gelasii verba (a): *Nobis opponunt Canones, dum nesciunt quid loquantur: contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primae Sedi sana rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus Sedis examen voluere deferri: ab ipsa vero nunquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius comeare judicium, nec de ejus unquam praeceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius Decreta sequenda mandarunt.* Quis & in his verbis non agnoscat absolutam, ut vocant, & nullius judicio subditam Roma-

(a) Epist. IV, seu commonit. ad Faustum.

Romanorum Pontificum potestatem, ab ipsis etiam Canonibus eorumque conditoribus agnitam & confirmatam; quibus tamen eam subjicere Adversarii contendunt? Qua in re, ut idem S. Pontifex inferius adjungit, dupliciter ab eis peccatur adversus Canones; primo, quod ejusmodi potestatem Romanis Pontificibus adimunt; secundo, quod sibi judicium de illorum actis usurpant: *Sed religiosi Viri atque perfecti, secundum Canones concessam Sedi Apostolicae potestatem nimirum conantur eripere, & sibimet eam contra Canones usurpare contendunt. O canonum magistros atque custodes!*

Quod autem pertinet ad Acta Concilii Lemovicensis, quod ea in medium proferre operae pretium fuerit, haud facile liquet. Quamquam enim Gallicani Episcopi in ea Synodo irritam esse decernant eorum absolutionem, qui eam ficto & fallaci animo, doloque malo a Romanis Pontificibus elicuerint; ipsique etiam Romani Pontifices id maxime velint; quamquam etiam ad occurrendum huic malo, nemini licere velint, *inconsulto Episcopo suo, ab Apostolico poenitentiam & absolutionem accipere:* non tamen legem Romano Pontifici constituunt, aut ejus potestatem circumscribunt; perinde atque illi fas non sit, etiam inconsultis Episcopis peccatores reconciliare; sed negligentiae culpam in Episcopos conferunt, si Romani fictis Poenitentibus ex eorum Dioecesibus proficiscentibus, monere ea de re Romanum Pontificem praetermittant. *Dicebant ergo Episcopi ad invicem: Frustra haec querela adversus Caput nostrum mutire audet: Apostolicus enim absque culpa est, & potius nos culpabiles sumus, nisi litteris nostris ei notum faciamus, de quibus nolumus ut absolvantur. Quum ergo tales deceperint Apostolicum, ut fraudulenter absolvantur ab eo, irrita est eis illa absolutio &c.* Non ergo culpae vertebant Pontifici, quod inconsultis Episcopi absolveret Poenitentes, neque illum ad hanc legem adstringere cogitabant. Quin adprobabant laudabantque Romanum Pontificem haec scribentem in ea ipsa Epistola, ex qua Meldensis Episcopus laciniam adtulit, iis tamen omissis, quae illius proposito minime congruebant. *Quod nescienter egi, Frater carissime, non mea, sed tua est culpa. Scis enim, quia quicumque de universa Dei Ecclesia, quae est in toto orbe terrarum, ad me caussa remedii recurrit, impossibile est mihi ejus curam negligere; dicente Domino ad Beatum specialiter Petrum:* Pasce oves meas. *Quo ergo modo Sedes Apostolica poterit ejicere aliquem de medela nisi rationabili caussa? Debueras certe &c.* quae Bossuetius describit. Quae quum Gallicani Episcopi adprobarint, palam est, eos noluisse Romano Pontifici legem praescribere, ne ipsis inconsultis, quoscumque ad se confugientes reconciliaret.

CAPUT IX.

„ Libertas in Jure antiquo & com-
„ muni: Pragmatica sanctio S. Lu-
„ dovici an ab Anonymo idoneis
„ probationibus falsi arguatur?

PRagmaticam Sanctionem Sancto Regi Ludovico fuisse suppositam, iis argumentis Thomassinus ostendit,

dit, quae pleniſſimae demonſtrationis loco habenda eſſent, ſi ab Adverſariis ad abrogandam fidem cuipiam Monumento, quod eis incommodum eſſet, proferrentur. Ergo Cl. Viri conjecturas in medium adferemus, & ab exceptionibus vindicabimus, quibus eas elevare Illuſtriſſimus Adverſarius conatus eſt.

Primum argumentum ex Anonymo Auctore Tractatus de Libertatibus (Antonio Charlas) ſummatim his verbis refert Boſſuetius: *Pragmatica illa a nemine allegata fuit per ducentos annos*: Reponit autem: „ Facilis reſponſio: non enim cauſa adfuit. Sic certe facile reſpondetur, quum vis argumenti penitus diſſimulatur. Suis ergo verbis Thomaſſinum differentem audiamus (*a*). Ait imprimis, Viros eſſe doctiſſimos, qui fidem ejus labare putent. Eorum vero animos movere longum de ea Scriptorum omnium ſilentium, non aevo tantum S. Ludovici, ſed duorum admodum poſt ſaeculorum .... Quoquo ſe modo res habeat; conſtat, in Geſtis ſanctiſſimi ejus Regis nihil occurrere quod poſſit anſam dediſſe ei Pragmaticae publicandae, cum nihil unquam ei cauſſae vel negotii fuerit cum Romano Pontifice, vel cum Curia Romana. Denique ne tum temporis quidem allegata eſt a quoquam, quando diutina efferbuit diſſenſio inter Bonifacium VIII. Papam & Philippum Pulcrum Regem; quamquam peropportuna tunc quidem ejus fuiſſet authoritas. Addit alio in loco [*b*]: Quod ne iis quidem temporibus mentio ejus facta eſt, quibus ea opportuniſſima fuiſſet. Graſſante ſchiſmate Avenionenſi, ſub Carolo VI. Rege, quando ſublatae ſunt omnes Curiae Romanae exactiones, nuſquam ullum hujus Pragmaticae veſtigium. Ne tum quidem commemorata eſt, ad exempli auctoritatem, ubi ſub Carolo VII. Pragmatica Sanctio concinnata eſt. Ejus primum, ut apparet, meminere Delegati Senatus Pariſienſis in commonitorio ſuo ad Ludovicum XI. ut ſupra declaratum eſt. Videat ergo Illuſtriſſimus Auctor quo loco haberi debeat facilis illa reſponſio: *Non enim cauſſa adfuit*. Non enim una, ſed plures eaeque graviſſimae cauſſae adfuerunt Pragmaticam S. Ludovici Sanctionem in medium adferendi, ſi edita a ſancto Rege fuiſſet.

At quemadmodum poſt S. Ludovicum plures eam proferendi cauſſae fuerunt: ita nullae fuerunt, cur ea a ſanctiſſimo Rege promulgaretur. Qua de re, praeter ea quae jam adducta ſunt, hic rurſus audire praeſtat eumdem Cl. Thomaſſinum (*c*): Adde rurſus, ſi quae fuerunt eo regnante Romanorum Pontificum in Eccleſiam Gallicanam exactiones, eam pecuniam in manus veniſſe ſanctiſſimi Regis ad ſacras ejus expeditiones: ut procul ſit a veri etiam ſpecie, iniquo illum animo eas tuliſſe. Quin & propius a vero abeſt, ſollicitatos non ſemel a S. Ludovico fuiſſe Pontifices, ut id genus exactionibus aſſentirentur: unde & in Pontificem tunc

(*a*) Tom. II. de Benefic. Par. II. Lib. II. cap. XXXIII. num. IV.
(*b*) Tom. III. Par. III. Lib. I. cap. XLIII. num. XVII.
(*c*) Loco mox citato.

tunc & in Regem tam crebra Cleri murmura. Addam & quod habet Chronicon vetus Neustriae a summo viro Duchesnio publicatum. Cum anno 1264. flagitasset B. Ludovicus a Papa novam decimam in Clerum ad sacram militiam, Procuratores Ecclesiarum Galliae Cathedralium Lutetiae congregatos, Pontificem per litteras certiorem fecisse, quas in angustias detrusa Ecclesia Gallicana his decimis, duodecimis, centesimis, & aliis oneribus fuisset. Ab uno Pontifice spem sibi adfulgere aliquam pristinae libertatis testificantur: *In quibus nisi a Sede Apostolica plenam possit assequi libertatem, pestis ista latissime se diffundet*. Postremae infelicitatem expeditionis sacrae ex eo profectam esse, quod decimarum & duodecimarum extorsionibus exhaustae essent Ecclesiae & dehonestatae. Occupatus Pontifex precibus & epistolis Regis, durius habuit Procuratores Capitulorum, decimasque concessit ad tres annos, gravibus poenis in contumaces saeviturus. Ubi res ita comparatae erant, locus haud sane erat Pragmaticae istiusmodi.

Quod vero pertinet ad libertatem electionum, idem Auctor observat, non eam tunc adserendam & vindicandam fuisse adversus Apostolicam Sedem, sed adversus turbulentorum hominum factiones, a quibus ea passim per ea tempora violabatur. Non a Romana tunc Curia, inquit, proficiscebantur electionum dissidia & intemperiae, sed a Laicorum factionibus tumultuosis, a quibus extrema vis, caedes etiam quandoque erupere in Ecclesias Bituricensem, Burdigalensem, Carnotensem, ubi & aliquamdiu intermittendae electiones fuere. Fidem ejus rei facit Canon Concilii Bituricensis anno 1276. ubi praeerat Legatus Pontificius, & unde vibrata sunt anathemata in authores facinorum tantorum. Pleniorem etiam ejusdem rei fidem faciunt ipsius S. Ludovici litterae, quas laudat Petrus de Marca (a), & quibus, ut eas intuenti statim liquet, non adversus Romanam Curiam, sed adversus Haereticos aliosque raptores, Ecclesiarum libertas vindicatur. Ut nulla omnino ratio sit, cur Pragmaticae Sanctionis priora capita, si vere a S. Ludovico edita fuisset, potius adversus Romanos Pontifices, quam adversus ejusmodi turbulentos homines torquerentur (b).

Quum ergo edendi Caput V. Pragmaticae Sanctionis nulla per ea tempora oppurtunitas fuerit; electionum vero libertas, quae primo, secundo, & quarto Capite vindicatur, non a Romana curia, sed a Laicis & factiosis hominibus turbaretur: quumque S. Ludovicus Apostolicam Sedem Romanosque Pontifices summo studio coluerit, & ab his vicissim impensissime cultus atque dilectus fuerit; nulla verisimilis ratio est, cur eos lacessere pragmaticae Sanctionis promulgatione voluerit. Praesertim quum anno 1268. sanctus Rex ad secundam in terram sanctam expeditionem cum summi Pontificis consilio se accingeret, monitisque potius cum amicissimo Pon-

(a) Lib. III. de Conc. Sac. & Imp. cap. I. num. VII.
(b) Videsis Ant. Charlas lib. I. de Libertatib. Eccles. Gal. cap. XV.

Pontifice quam edictis egisset. Neque is erat Clemens IV. qui his coërcendus videretur, innocentissimus atque abstinentissimus Pontifex. Ac si quod tum exactum fuisset subsidium, non nisi ad adjuvandum in expeditione bellica Regem impendendum fuisset. Quae momenta quam gravia sint, nemo non videt. Sed ea tamen omnia sponte concidere, adfirmat Bossuetius. „ Si dicamus, inquit, Ludo„ vicum non praesentibus malis, sed „ qua erat providentia, futuris ac „ pridem expertis occurrere voluisse: „ Clementem vero Quartum quo erat „ abstinentior, eo aequiore animo tu„ lisse prohiberi ea, a quibus ipse „ abhorreret. Dicamus potius, hoc responsum sponte concidere, si animum advertamus, quod ejusmodi Edicta a prudente Rege edita nunquam fuissent, nisi ad ea edenda praesentissimis malis, gravissimisque & urgentibus caussis compulsus fuisset. Quae quum S. Ludovico nullae, ut jam ostendimus, fuerint; planum est, Pragmaticam sanctionem illi merito abjudicari, & admodum verisimile est, eam grassante schismate Avenionensi, aut serius etiam, hoc est circa tempora Concilii Basileensis, fuisse sancto Regi suppositam.

CAPUT X.

„ Edictum Caroli VI. Decretum Flo„ rentinum: Nulla sunt quae con„ tra Canones: Romanus Ponti„ fex contra Canones agere nol„ le praesumitur, ne ipse adver„ setur sibi: Locus insignis Con„ cilii Basileensis.

QUa occasione Edictum illud Caroli VI. editum fuerit, & qua olim potestate in Decimis a Clero exigendis, Romani Pontifices etiam in Galliis uterentur, discere Lector poterit ex iis quae latissime disputat Cl. Thomassinus Tom. III. de Beneficiis Par. III. Lib. I. cap. XLIII. Quod vero pertinet ad alia Capita; de iis supra suis locis disputatum est, ac potissimum in libro praecedente ad Caput XI. & in praevia Dissertatione, cap. V.

CAPUT XI. &c.

„ De Decretalibus Epistolis, deque „ consuetudine recepta, & Ca„ nonum origine.

QUo sensu Romanorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum loca quae in hoc & duobus sequentibus Capitibus ab Illustriss. Adversario laudantur & exscribuntur, accipienda & intelligenda sint, in praemissa Dissertatione uberrime nobis ac planissime demonstratum est. Quare nulla ratio est, cur in eis iterum excutiendis immoremur.

CA-

CAPUT XIV.

„ Ecclesia Gallicana antiquam & sanctam sub Aurelio & Augustino Africanam Ecclesiam sequitur: Christiani Lupi hallucinationes: Summa doctrinae nostrae de Libertatibus.

VIs argumenti, quod in praesenti Capite urget Illustrissimus Praesul, ipso capitis initio sequentibus verbis continetur: „ Qua in re „ Ecclesia Gallicana eodem spiritu „ agitur, quo nobilis illa quondam „ Ecclesia Africana. Notum, quid „ ab ea S. Zozimus Papa missa le- „ gatione postularet: quid Patres Afri- „ cani responderint. Duo tantum ob- „ servamus: Primum illud, Papam „ Zozimum, cum appellationes Ec- „ clesiae Africanae suae sedi vindica- „ ret, protulisse Canones, eosque „ Nicaenos, in Africa quidem, ut „ toto terrarum orbe, receptos. Al- „ terum, Africanos Patres aperte pro- „ fessos, se ita probaturos appellatio- „ nes eas, si Canonibus Nicaenis ju- „ berentur. Ergo neque Zozimus ab- „ soluta voluntate agebat, neque „ Africani Patres ea se gubernari si- „ nebant; sed in receptis Canonibus „ pars utraque vim omnem repone- „ bat. Hoc fere est unicum argumentum, quod cum aliquo colore doctrinae nostrae objiciatur. Ac reapse tum ab omnibus Heterodoxis adversus Catholicum dogma, tum a Parisiensibus Theologis pro Libertatibus, ut vocant, Gallicanis, pari studio in medium profertur. Ideoque in illo excutiendo paullisper est nobis immorandum. Paullisper, inquam, non enim est animus nobilissimam hanc & a praeclarissimis ingeniis diligentissime pertractatam de Appellationibus ad Sedem Apostolicam controversiam de integro ad incudem revocare; sed ea tantum delibare, quae huic capiti illustrando magis apta & idonea videbuntur.

ARTICULUS UNICUS.

Romani Pontifices tum jure Primatus sui, tum vi consuetudinis & Canonum Nicaenorum seu potius Sardicensium, appellationes Episcoporum, & aliquando etiam inferioris ordinis Clericorum undecunque, ac speciatim ex Africa, ad Sedem Apostolicam delatas susceperunt olim & judicarunt: Africani autem Episcopi eis modum aliquem imponi, suis ad Caelestinum litteris petierunt.

JUs appellationum ad Romanam Sedem appendicem esse primatus S. Petro & ejus Successoribus a Christo collati, diserte docet, & sequentibus argumentis demonstrat Nat. Alex. (a): Hoc ipso, inquit, quod Romanus Pontifex est jure divino omnium Episcoporum primus, & ceteris jurisdictione superior, Ecclesiae Caput, Vicarius Christi; consequens est, ut ad ipsum Episcopi cum injuriam patiuntur, appellare possint. Ipsa enim juris naturalis aequitas ab inferiorum Judicum sententiis ad supremum Judicem appellari posse, dictat

Bb 2 & per-

(a) Dissert. XXVII. in Hist. Eccles. Saec. IV. Concil. I.

& persuadet. Quum itaque Romanus Pontifex ratione sui primatus sit superior Episcopis omnibus divisim sumtis, & Conciliis etiam Provincialibus ac Nationalibus, ad ipsum appellare posse Episcopos, Metropolitanorum, Primatuum, Patriarcharum, aut Conciliorum, sive Provincialium, sive Nationalium, sive Patriarchalium judiciis depositos, necessario sequitur: ac proinde jus appellationum Episcopalium ad Romanam Sedem Pontificii primatus est appendix. Praeterea, Romanus Pontifex ratione primatus tenetur invigilare executioni Canonum, eorumque observantiam urgere ac promovere: quo munere fungi non potest, nisi ipsorum infractores plectere possit. Si igitur violati fuerint Canones in Episcoporum depositione, ipsi ad Romanum Pontificem provocare possunt, ut in irritum mittat sententiam iniquiorem, ut eorum qui injuriam passi sunt, jura resarciat, ut eos qui contra Canones peccarunt, inflictis etiam poenis canonicis, ad eorumdem compellat observantiam & executionem. Jus itaque suscipiendi appellationes Episcoporum dejectorum & eas judicandi, Romano Pontifici conveniens, appendix est primatus Sancto Petro & ejus Successoribus a Christo collati.

Id etiam omnino persuasum ipsi Romani Pontifices habuerunt, ut vel ex his verbis Bonifacii I. in epistola ad universos Episcopos per Thessaliam constitutos compertum est (*a*): *Certe si in quoquam ejus supra debitum fuit visa correptio; quoniam ideo tenet Sedes Apostolica principatum, ut querelas omnium licenter acceptet; interpellari nos super hoc missa legatione convenerat, quos curam omnium rerum manere videatis.* Quibus verbis jus Episcopalium appellationum ad Sedem Apostolicam repetit, non ex speciali ejusdem Sedis potestate super provincias Illyrici, sed ex ejus principatu, propter quem & omnium querelae ad Romanos Pontifices deferri, & rerum omnium sollicitudo pertinere debet.

Canones, qui hoc idem jus Sedi Apostolicae confirmarint, haud semel in suis epistolis laudat S. Gelasius. Ita enim epistola IV. seu commonitorio ad Faustum: *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus sedis examen voluere deferri.* Ita & epistola XIII. ad Episcopos Dardaniae: *Non reticemus autem, quod cuncta per mundum novit Ecclesia: quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi; utpote quae de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio: siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.*

Consuetudinem laudat S. Leo in epistola (*a*) ad Episcopos Viennensis Provinciae: *Nobiscum itaque vestra Sanctitas, recognoscat, Apostolicam Sedem, pro sui reverentia, a vestrae etiam Provinciae Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & per diversarum, quemadmodum vetus con-*

(*a*) Epist. IX. in Collect. Lucae Holsten.
(*b*) Epist. LXXXIX. Tom. IV. Conc. Edition. Quesn. X.

consuetudo poscebat, *appellationem caussarum*, *aut retractata aut confirmata fuisse judicia*.

Canones & consuetudinem complexus est S. Innocentius I. epistola II. ad Victricium Rotomagensem Episcopum cap. VI. *Si majores causae in medium fuerint devolutae*, *ad Sedem Apostolicam*, *sicut Synodus statuit*, *& beata* (seu potius, *vetus*) *consuetudo exigit*, *post judicium Episcopale referantur*. Quem locum de appellationibus Episcoporum Hincmarus Remensis Episcopus interpretatur (*a*): quamquam haud ignorem aliam esse hodie Clarissimorum quorumdam Virorum opinionem (*b*).

At majoris ad rem nostram momenti est, quod in eadem Epistola capite praecedente his verbis statuitur: *Si quae autem caussae vel contentiones inter Clericos tam superioris ordinis*, *quam etiam inferioris fuerint exortae*; *ut secundum Synodum Nicaenam*, *congregatis ejusdem provinciae Episcopis jurgium terminetur*: *nec alicui liceat*, (*sine praejudicio tamen Romanae Ecclesiae*, *cui debet in omnibus caussis reverentia custodiri*) *relictis his Sacerdotibus*, *qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant*, *ad alias convolare provincias*. Quo loco nemo non videt, sic tribui ab Innocentio Provincialibus Synodis judicium caussarum tam superioris quam inferioris ordinis Clericorum; ut id tamen sine praejudicio jurium ac privilegiorum Ecclesiae Romanae intelligendum esse, ab eodem sollicite adnotetur. Atque adeo jus sibi vindicat de *omnibus caussis* judicandi, quae ad Ecclesiam Romanam per appellationem sive a superioris sive ab inferioris ordinis Clericis deferantur. Pro ejusmodi autem privilegio (id quod sane perquam diligenter observari velim) nullum Innocentius aut Nicaeni aut Sardicensis Concilii Canonem profert. Nam, ut Petrus Coustant in Notis admonet: „ Verba „ illa, *secundum Nicaenam Synodum*, non ad eam exceptio„ nem, quae clauditur parenthesi „ sed ad antecedentia tantum re„ feruntur. Quare nec ejusdem Cl. Viri, neque Hincmari (*c*) sententia mihi probatur, qui ut privilegium illud Romanae Sedis ad solas Episcoporum caussas & appellations coercerent, ad Canonem IV. & V. aut VII. Sardicensis Concilii, in quibus de iis tantum caussis & appellationibus sermo est, respici existimarunt; perinde ac nulla unquam privilegia Sedi Apostolicae adserere Romani Pontifices ausi sint, quam quae alicujus Synodi Canone niterentur. At Innocentius neque ullam hic Synodum memorat; quod certe facere non omisisset, si ad alicujus Canonem respexisset; neque ullam porro commemorare potuit; quum nulla vetustiore Synodo statutum esset, sic etiam inferioris ordinis Clericorum caussas per provinciales Synodos esse terminandas, ut nullum Ecclesiae Romanae praejudicium adferri

(*a*) Epist. IX. cap. XII. & alibi.

(*b*) Petrus de Marca lib. I. de Conc. Sac. & Imp. cap. X. num. VII. & Petrus Coustant. in Not. ad hanc Epist.

(*c*) Opusc. XLVII. seu epist. ad Johan. VIII. cap. XII.

ferri debeat, si eorum quoque appellationes suscipere aliquando velit, aut eorum ad se caussas evocare. Quod tamen Innocentius aperte his verbis constituit, quae generatim omnes caussas, de quibus hic sermo est, scilicet tam superioris quam inferioris ordinis Clericorum, complectuntur. Porro Romani Pontifices ab ea mente quam longissime aberant, ut Sedis suae privilegia aut Nicenae aut aliis Synodis, earumque Canonibus & Constitutis accepta referrent; adeoque ut iis omnino limitibus continerentur.

Bonifacius I. Innocentii post Zosimum successor haec scribit exordio epistolae superius laudatae ad universos Episcopos Thessaliae [a]: *Institutio universalis nascentis Ecclesiae de Beati Petri sumsit honore principium, in quo regimen ejus & summa consistit. Ex ejus enim Ecclesiastica disciplina per omnes Ecclesias, religionis jam crescente cultura, fonte manavit. Nicaenae Synodi non aliud praecepta testantur: adeo ut non aliquid super eum ausa sit constituere, quum videret nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique huic noverat Domini sermone concessa. Hanc ergo Ecclesiis toto orbe diffusis velut Caput suorum certum est esse membrorum.* Quae verba, uti Lucae Holstenio & P. Coustant animadversum est, Hadrianus I. epistol. XCVII. Codicis Carolini transcripsit. Concinit & Nicolaus I. epistola VIII. ad Michaëlem Imperatorem: *Si instituta*, inquit, *Nicaenae Synodi diligenter inspiciantur, invenietur profecto, quia Romanae Ecclesiae nullum eadem Synodus contulit incrementum: sed potius ex ejus forma, quod Ecclesia Alexandrinae tribueret particulariter, sumsit exemplum.* Cur autem Nicaena Synodus nullum Ecclesiae Romanae, SS. Pontificis opinione, contulerit incrementum, luculentius declarant haec ejusdem Epistolae verba: *Ecclesiae Romanae privilegia Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, & a sanctis universalibus Synodis celebrata, atque a cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari: quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus &c.* Ex quibus verbis etiam Nat. Alex. probat jus appellationum ad Romanam Sedem a Synodo Sardicensi non esse institutum, sed confirmatum & celebratum, esse autem appendicem primatus Sancto Petro & ejus Successoribus a Christo collati. Ex quibus SS. Pontificum testimoniis compertum est, eos neque Nicaenae, neque aliis Synodis accepta retulisse Sedis Apostolicae privilegia, sed Christi institutioni, a quo illi *omnia*, ut loquitur, Bonifacius, *concessa* sunt, quique illam omnibus Ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum voluit esse membrorum. Unde profecto consequens est, non esse illius Sedis privilegia Conciliorum Canonibus circumscribenda; atque adeo ea Innocentii verba, quibus generatim *in omnibus caussis*, scilicet tam superioris

ris

(a) Epist. XIV. in edit. P. Coustant.

ris quam inferioris ordinis Clericorum, Sedi Apostolicae reverentia defertur, ad normam Sardicensium Canonum restringenda non esse.

Haud me latet, Africanam Ecclesiam jam olim ab ipso S. Cypriani aevo ac deinceps, his speciatim inferioris ordinis Clericorum ad Sedem Romanam appellationibus vehementer intercessisse. Verum neque illud ignoro, Romanos Pontifices hoc Sedis suae privilegio nunquam omnino cedere voluisse, nec iis appellationibus suscipiendis penitus unquam abstinuisse. Nat. Alex. qui, ut ex superioribus constat, jus Episcopalium appellationum adversus Petrum de Marca velut primatus appendicem tuetur, hoc primo loco ex eodem Illustriss. Praesule (a) sibi objicit argumentum. Cum S. Cyprianus, ex sententia Concilii sui, a communione rejecisset quosdam Clericos, & quemdam Pseudo-Episcopum Haereticorum, irascitur adversus Cornelium Episcopum Romanum, quod cum illi Romam accessissent, haesitasset aliquantulum Pontifex, an eos in communionem suam reciperet. Hanc ob rem Cyprianus apud Cornelium aperte edisserit jura Episcoporum uniuscujusque Provinciae; quae in eo versantur, ut ad eos pertineat discussio judiciumque caussarum, & regimen gregis, rationem administrationis suae Deo reddituros; neque licere, Romam aliove appellare. Neque enim minorem esse auctoritatem Episcoporum Africanorum, quam reliquorum. Damnatos porro, si ad Cyprianum accedere voluerint, auditurum se lubenter, & poenitentiam eorum amplexurum, si crimine ullo fuerunt involuti. Quae omnia constant ex ipsius S. Cypriani epistola LV. ad Sanctum Cornelium: Unde consequens esse videtur, supremam illo aevo fuisse Conciliorum Provincialium auctoritatem, nec ab eorum judiciis licuisse ad Sedem Apostolicam appellare.

Hunc nodum distinctionis ope solvit laudatus Auctor. Assentitur enim supremam fuisse Conciliorum Provincialium auctoritatem in caussis simplicium Presbyterorum, secus autem in caussis Episcoporum. Fortunatus autem, inquit, Felicissimus & alii, de quibus S. Cyprianus praefata in epistola loquitur, meri erant Presbyteri: *Maxime*, inquit, *quando & Fortunati nomen jam satis nosses, qui est unus ex quinque Presbyteris jampridem de Ecclesia profugis, & sententia Coepiscoporum nostrorum, multorum & gravissimorum Virorum, nuper abstentis*. Deinde S. Cyprianus eos, de quibus loquitur, sibi inferiores ac subditos fuisse ait: *Oportet eos, quibus praesumus, non circumcursare*. Non mirum itaque quod de ipsis dicat: *Jam caussa eorum cognita est, jam de eis dicta sententia est*: Et quod illorum caussam audiri debere contendat, ubi crimen admissum est, ubi schisma conflatum; nec posse ipsos ad alia tribunalia confugere.

Ex hac porro Cl. Viri disputatione hanc ego colligo consecutionem: contendisse quidem Sanctum Cyprianum, haud admittendas esse a Ro-

(a) Lib. VII. de Conc. Sac. & Imp. cap. I. num. III.

a Romanis Pontificibus simplicium Presbyterorum appellationes: Cornelium vero eas a se primatus sui suaeq; Sedis praerogativa suscipi & judicari posse, minime dubitasse. Nam litteris ad S. Cyprianum, quae interciderunt, *ut Fortunatus ille Romam, ibi judicandus, veniret praecipiebat*; ut Cl. Coustant animadversum est in Notitia Epistolarum non exstantium, quae ad Cornelium attinent §. XIII. „ num. 22. ubi & subjungit, quod „ quae Cornelium inter & Cypri- „ anum ex occasione Fortunati & „ Legatorum ejus nata est de cogni- „ tione causarum controversia, Zo- „ simi Papae & Aurelii Carthagi- „ nensis Episcopi temporibus ex causa „ Apiarii recruduit. Sed & tunc „ Africani Praesules ad Caelestinum „ Papam rescribentes, mox lauda- „ ti (*sub S. Cypriano*) Concilii de- „ creto steterunt. Verum ut illi huic decreto sibi esse insistendum existimarunt: ita laudatus Caelestinus, Zosimus, Bonifacius aliique Romani Pontifices Cornelii Decessoris sui exemplo insistere potuerunt. Atque ut Adversarii nobis objiciunt S. Cypriani & aliorum Africae Proconsularis Episcoporum Decretum: ita nos illis objicimus S. Cornelii & Ecclesiae Romanae; quorum certe excellentior est, quam Episcopi & Ecclesia Carthaginensis, auctoritas; exemplum.

Statim post Sardicense Concilium appellationum usum frequentem in Ecclesia Occidentali fuisse, Natal. Alex. primo loco demonstrat ex caussa Caeciliani Carthaginensis Episcopi, quem a Donatistis exagitatum, & in multis eorum Conciliis damnatum, ad Apostolicam Sedem appellare potuisse, & ad ejus tribunal caussam suam dicere, S. Augustinus agnoscit: cum tamen de caussa fidei non ageretur, sed de caussa merae disciplinae, & de Caeciliani ordinatione, quem a Traditore, Felice nimirum Aptungitano consecratum, Episcopali honore & dignitate frui non posse contendebant, quaestio esset. Ait vero Sanctus Doctor (a), eum potuisse *non curare conspirantem multitudinem inimicorum, quum se videret & Romanae Ecclesiae, in qua semper Apostolicae Cathedrae viguit principatus, & ceteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum: ubi paratus esset caussam suam dicere, si Adversarii ejus ab eo illas Ecclesias alienare conarentur*. Illam vero consuetudinem, subjungit laudatus Auctor, appellandi ad Ecclesias Apostolicas, & maxime ad Romanam, quae princeps est ceterarum, inde repetit S. Augustinus, quod Caecilianus non esset ex ordine Presbyterorum, Diaconorum, aut inferiorum Clericorum; quorum caussae in Provinciis finiebantur, & qui in judicio Metropolitani & Synodi Provincialis acquiescere debebant, nec ad Romanum Pontificem poterant secundum Canones appellare; sed ex ordine Episcoporum, quibus appellatio hujusmodi permittebatur: *Neque enim*, inquit, *de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris ordinis Clericis, sed de Collegiis agebatur, qui possent aliorum Collegarum judicio, praesertim Apostoli-*

(a) Epist. XLIII. al. CLXII.

stolicarum Ecclesiarum, caussam suam integram reservare. Unde colligit Natalis Alex. etiam ante Concilium Sardicense, usum appellationum in Ecclesia Occidentali invaluisse; adeoque multo magis obtinuisse post illius Concilii celebrationem.

Quamquam autem ex eo S. Augustini loco colligi possit, ingratas fuisse Africanis Episcopis Clericorum inferioris ordinis appellationes; attamen servatam ab eis fuisse etiam in hujusmodi caussis debitam Sedi Apostolicae reverentiam; quemadmodum Innocentius exigebat; constat ex appellatione Caelestii, in Synodo Carthaginensi anno 412. damnati, ad Innocentium I. ex qua secundum pro usu appellationum argumentum idem Natalis desumit. Appellationis autem Caelestii, qui nedum Presbyter erat, testes producit Marium Mercatorem in Commonitorio, & Paullinum Diaconum in Libello ad Zosimum Papam: qui illi quidem crimini vertunt, quod appellationem prosequutus non est, sed ob appellationem interpositam eum minime reprehendunt: laudat & Zosimum ipsum epistola III. ad Episcopos Africanos: qui non modo appellationis Caelestii testis locupletissimus est; verum etiam, ut idem Nat. Alex. alibi observat (a), supremi judicis auctoritate in eo usus est, quod appellationem, cujus ille jure ceciderat, merita ipsius minime prosequendo, in integrum restituit. „ De caussa quidem fidei agebatur, subjungit saepe laudatus Auctor: „ sed si in decernendis fidei caussis „ superior fuit Romani Pontificis auctoritas Nationalibus Conciliis, „ adeoque ad ejus Sedem jure appellatum est: quidni & in caussis „ merae disciplinae appellari eodem „ jure potuerit? Ergo Caelestius Presbyter eodem jure, quo in caussa fidei a Synodo Carthaginensi ad Sedem Apostolicam appellavit, ad eamdem etiam in caussa disciplinae appellare potuisset.

Jam vero temporum nos series & ordo perduxit ad celebrem illam ac perdifficilem controversiam, quae Zosimum ac Successores, Bonifacium scilicet & Caelestinum, cum Africanis Episcopis commisit. Circa quam, memoria primum repetendum est, id generatim Meldensem Episcopum observasse: „ quod neque Zosimus „ in hoc negotio absoluta voluntate „ agebat, neque Africani Patres ea „ se gubernari sinebant; sed in re„ ceptis Canonibus pars utraque vim „ omnem reponebat. An haec omnino cum veritate consentiant, videamus. Controversia, ut nemo ignorat, propter Apiarium Presbyterum Siccensem exorta est, qui propter scelera ab Episcopo suo Urbano communione privatus & gradu dejectus ad Zosimum appellavit, a quo & communioni & gradui pristino restitutus est. Sententiae pro Apiario latae exsecutores Zosimus ad Carthaginensem Synodum Legatos Apostolicos destinavit, Faustinum Episcopum Potentinum, Philippum & Asellum Presbyteros: quibus haec quatuor cum Africanis Episcopis gerenda mandavit. *Unum de appellationibus Episcoporum ad Romanae Ecclesiae Sacerdotem;*

(a) Differt. III. in Hist. Eccles. Saec. V. in fin.

dotem; *alterum*, *ne ad comitatum Episcopi importune navigeat*; *tertium de tractandis Presbyterorum & Diaconorum caussis apud finitimos Episcopos, si a suis excommunicati perperam fuerint*; *quartum de Urbano Episcopo excommunicando, vel etiam Romam evocando, nisi ea, quae videbantur corrigenda, corrigeret*; idest, nisi Apiarium Presbyterum suum, qui de sententia exauctorationis in se lata ad Sedem Apostolicam provocaverat, gradui suo restitui pateretur. Quae omnia constant ex epistola Synodica Africani Concilii ad Bonifacium Papam, quae Codici Canonum Ecclesiae Africanae cap. CXXXIV. inserta est. Ex his porro quatuor Capitibus duo tantum, scilicet primum & tertium, *id est*, *ut Romam liceat Episcopis provocare*; *& ut Clericorum caussae apud Provinciarum suarum Episcopos finiantur*; Sardicensibus Canonibus, quos veluti Nicaenos Zosimus laudaverat, nitebantur. De quarto autem Capite nihil omnino eisdem Canonibus statutum fuerat. Quare illud sibi haud alia ratione poterat Zosimus vindicare, quam illa Innocentii I. praedecessoris sui generali regula, quae statuit, in omnibus caussis tam superioris quam inferioris ordinis Clericorum Sedi Apostolicae reverentiam custodiri. Ac proinde ea non erat, ut Innocentii, ita & Zosimi mens, Romanae Sedis privilegia Conciliorum legibus veluti certis ac definitis terminis contineri.

Innocentii & Zosimi vestigiis institit ejusdem Zosimi post Bonifacium successor Caelestinus. Quum enim Apiarius anno 419. Concilii Carthaginensis sententia remotus ab Ecclesia Siccensi, Tabracam celebrem in Proconsulari provincia civitatem se se recepisset; ab urbis hujus civibus denuo nefandis flagitiis accusatus, eaque de caussa ab altero Carthaginensi Concilio communione privatus, Romam confugiens, mentitusque se ab hac sententia provocasse, communioni a Caelestino restitutus est, misso in Africam eodem Faustino, ut & ibi ei communio redderetur. Ubi in Africam Caelestini Legatus pervenit, Synodum Carthagine convocavit, atque omni ope contendit (a), *quasi Ecclesiae Romanae adferens privilegia*, ut Apiarius ab Africanis Episcopis in communionem susciperetur. Quod ille tamen obtinere non potuit ob evulgata tandem ipsius Apiarii confessione scelera, quorum jam ab aliquot annis infamia in Africa laborabat. Hac de caussa Africani Patres Caelestinum interpellarunt, ne inferiores Clericos, imo & Episcopos in Africa a communione suspensos, *praepropere vel indebite*, ad communionem admitteret. *Ut Presbyterorum & sequentium Clericorum improba refugia*, idest appellationes repelleret. Ut Ecclesiastica negotia ab Africanis Synodis terminari permitteret. Ne Legatos *a latere* & executores Romanorum judiciorum in Africam destinaret. Denique, ne Faustinum, dijudicata jam Apiarii caussa, ulterius manere in Africa pateretur. Quae omnia illi tanquam Nicaenis freti Canonibus expetere sibi jure videntur. Atque hinc exsistit argumentum, quod adver-

(a) Africani PP. Epist. Synodica ad Caelestin. cap. ult. Cod. Afric. Eccl.

versus summam Sedis Apostolicae auctoritatem, & Romanas appellationes, velut Achilleum ab Adversariis profertur.

At ego eis primùm repono, quod si Africanis Patribus visum est, fas non esse Episcopis, aut saltem inferioris ordinis Clericis, ad Sedem Apostolicam appellare, quod de hac re nihil Nicaenis Canonibus constitutum esset: secus tamen, post Cornelium & Innocentium, visum est Zosimo, Bonifacio, & Caelestino, Romanaeque sub eis Ecclesiae: quorum certe, ut etiam superius animadverti, longe praeclarior est atque eminentior auctoritas, quam Aurelii, & ex tota Africa Carthaginensis Concilii. Qui ergo deinceps Romani Pontifices vel ex Africa, vel ex aliis Ecclesiis etiam inferioris ordinis Clericorum, etiam in caussis criminalibus seu violatae disciplinae appellationes susceperunt, Cornelii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, & Caelestini vestigiis inhaeserunt, adversus quorum auctoritatem frustra Milevitani aut Carthaginenses Canones proferuntur. Quos certum est, (neque id plures ex ipsis Adversariis inficiantur) jura Primatus S. Petro ejusque Successoribus a Christo collati aperte violasse, siquidem, ut quidam volunt, ipsorum quoque Episcoporum ad Sedem Apostolicam appellationes improbarunt. Sed quum videamus, & post vetus illud sub S. Cypriano Concilium, & post Milevitanum II. & post hanc sub S. Caelestino Carthaginensem Synodum, non modo Episcopos, verum & inferioris ordinis Clericos in Africa damnatos ad Sedem Apostolicam confugisse (a); valde animus propendet in Eminentissimorum ac doctissimorum Cardinalium Baronii, Bellarmini, atque Perronii sententiam: qui non ipsas generatim appellationes Africanis Patribus improbatas fuisse contendunt; sed eis aliquem statui modum expetiisse; ut scilicet non *facile*, non *praepropere*, *vel indebite* susciperentur. Nec moveor argumentis, quae adversus laudatos Cardinales Natalis Alex. & alii intorquent: quod nempe rationes, quibus in ea ad Caelestinum epistola Africani Patres usi sunt, non solum frequentiorem usum appellationum, sed jus ipsum ejusmodi disciplinae aggredi videantur. Nam novum & insuetum non est, ut rationes, quae praesertim in aestu disputationis adferuntur, nimis, ut ajunt, probent, quam probare deberent, atque ii etiam vellent, a quibus illae adhibentur. Quod vero pertinet ad Canonem XXII. Concilii II. Milevitani, quo appellantibus ad Transmarina Concilia communione intra Africam interdicitur; legitimum ejus sensum, inquit Nat. Alex., suggerunt verba, quibus is Canon in Codice Hadriani I., quem Carolo Magno dedit, enuntiatur: *Ut Clerici, qui ad Transmarina, non ad Primates suos provocaverint, in communionem non recipiantur.* „ Ex quibus constat, „ inquit laudatus Auctor, quod Clericis „ Africanis vitio non vertebatur, quod „ provocarent ad Transmarina, sive

 ad Tri-

(a) Diaconus Donadeus Victoris Episcopi sui judicio gradu dejectus ad S. Gregorium appellavit. Qua de re exstat epist. S. Pontificis VIII. libri IX. ad Columbum Episcopum Numidiae, qua jubet, ut *si querela ejus veritate fulcitur . . . suo ordini restituatur*.

„ ad Tribunal Romani Pontificis; „ sed quod per saltum provocarent, „ contemtis judiciis Primatum suorum & Conciliorum Africae; quae „ maxima erat veteris disciplinae „ corruptela. Monetque & prae oculis habenda esse verba Canonis LXXII. Codicis Africani, quae sic habent: *Quicunque non communicans in Africa, in Transmarinis ad communicandum obrepserit, jacturam Clericatus accipiat*. „ Nam cum obreptum, „ ex Ulpiano, idem sit quod mendacio & dolo impetratum; hujus „ Canonis genuinus sensus est: si „ quis excommunicatus in Africa, „ mendaciis & dolis impetraverit „ communionem a Romana Sede, „ Clericatu privetur. Verum eos non percellit Canon iste, qui legitimae appellationis suffragio, ad Sedem Apostolicam confugerint.

CAPUT XV.

„ Libertates quo sensu privilegia dicantur, nempe ut jura antiqua „ libertatum radix. An Petrus de „ Marca audiendus, qui Conciliorum superiorem potestatem a „ Libertatibus separat?

De hac Petri de Marca sententia late disputatum est supra Cap. V. praeviae Dissertationis; nec opus est, ut alia confutando Bossuetio hoc loco proferantur.

CAPUT XVI. &c.

„ Haec doctrina non obest dispensationibus Apostolicae Sedis: Concilii Basileensis locus: Gersonis „ doctrina a Sancto Bernardo ducta.

Quae in hoc & tribus sequentibus Capitibus Meldensis Episcopus disserit de Dispensationibus, ut vocant, sine caussa, nolo in praesentia ad examen revocare. Non enim ea mens est Romanorum Pontificum, gratis, & pro arbitrio, & sine caussa Ecclesiasticae disciplinae regulas relaxare. Attamen *si de dispensationis exhibitae sufficientia dubitetur*; non ad Reges, non ad Episcopos, non ad Synodos hujus rei judicium pertinere contendimus; sed *esse super hoc ad Sedem Apostolicam recurrendum*, quemadmodum II. Lugdunensis generalis Synodus statuit (a), judicamus: *Cujus est*, ut Patres adjungunt, *aestimare*, *quem modum sui beneficii esse velit*. Praeterea, quamlibet Romani Pontifices improvidis dispensationibus rectae rationis, jurisque adeo naturalis, aut etiam divini leges, quemadmodum S. Bernardus docet, transgredi possint ac violare; non tamen humano judicio esse illos obnoxios existimare debemus: a quo manifeste eos eximit idem S. Bernardus, eo ipso in loco, in quo adversus ejusmodi dispensationes vehementius invehitur (b): *Sic factitando, probatis vos habere plenitudinem potestatis: sed justitiae forte non ita. Facitis*

(a) Canon. XVIII.
(b) Lib. III. de Considerat. cap. IV.

eitis hoc, quia poteflis: sed utrum & debeatis, quaeftio eft ..... At quomodo non indecens tibi voluntate pro lege uti; & quia non eft ad quem appelleris, poteftatem exercere, negligere rationem? Denique, in omnibus generalium Conciliorum Decretis, quae de morum reformatione & Ecclefiaftica difciplina fancita funt, eam obtinere ac valere debere regulam judicamus, quam fequentibus verbis Synodus Tridentina conftituit (a): *Omnia & fingula, fub quibufcumque claufulis & formis, quae de morum reformatione atque Ecclefiaftica difciplina ...... in hoc facro Concilio ftatuta funt ..... ita decreta fuiffe, ut in his falva femper Sedis Apoftolicae auctoritas & fit & effe intelligatur*. Quae certe quamlongiffime abfunt ab intolerabili typho, quo Bafileenfis Pfeudo-fynodus fuis fubjicere decretis Romanos Pontifices olim contendit.

CAPUT XX. &c.

„ An Auctor Anonymus tractatus „ de Libertatibus ad tertiam propofitionem Declarationis Gallicanae rectum aliquid aut ad „ rem dixerit.

QUae in hoc & fequentibus hujus Libri Capitibus Bossuetius difputat adverfus auctorem Tractatus de Libertatibus, ea mihi pro more praetermittenda decrevi, ut qui, quemadmodum identidem monui, non quid alii dixerint, tueri inftituerim, fed rem potius ex integro retractare: neque aliorum veftigiis infiftere, & quo antea ab aliis itum erat, fed quo potius eundum effet, fedulo inveftigare decreverim. An porro felicius aliquando fcopum attigerim, aliorum efto judicium.

FINIS.

(a) Seffion. XXV. cap. XXI.

INDEX ALPHABETICUS

NOMINUM, AC RERUM PRAECIPUARUM, QUAE IN HUJUS OPERIS TOMO III. PARTE II. CONTINENTUR.

Numerus prior paginam, posterior cum littera c. *columnam primam, vel secundam paginarum notat.*

A

AFricani Episcopi petunt a Caelestino modum imponi appellationibus. 195. *usq. ad finem*.

Alexander (Natalis) Synodum Florentinam legitimam & oecumenicam fatetur. 84. c. 1. citatus. 127. c. 1. ejus argumentum pro appellationibus Episcoporum. 199. - 204.

Alliacensis (Petrus) contra Joann. de Montesono. 112. c. 1.

Almaini (Jacobi) circa civilem, & Ecclesiasticam potestatem erronea opinio, 125. c. 1.

Alvarus Pelagius laudatus. 115. c. 2.

Annatae a Basileensibus sublatae, protestantibus Legatis. 29. c. 2. ab Eug. IV. defensae. 32. c. 2.

Appellationes nituntur jure Primatus Pontificis, Consuetudine, & vi Canonum Sardicensium. 195. *usq. ad finem*. Episcopi Africani modum iis imponi a Caelestino petierunt. *ibid.*

Appellationes Ecclesiae Africanae. 195. c. 1.

Arelatensis Cardinalis alter Dioscorus. 55. c. 1.

Augustinus de Ancona laudatus. 116. c. 2.

B

BArtholomaeus Abramus Cretensis Concilii Florentini latinus interpres. 65.

Basileenses PP. ad schisma propensi. 15. c. 2. Eorum inanes praetextus. 26. c. 2. Non steterunt promissis, 29. 30. Quae in plurib. Sessionibus contra S. Sedem egerint? 29. c. 1. Annatae ab eis sublatae, protestantibus Legatis. 29. c. 2. Indulgentiae ab iis concessae. 30. c. 1. Decreta Constantiensia edunt, Legatis repugnantibus. 44.-47. ideoque nullam habent auctoritatem. 47. c. 2. Ab Eugenio IV. non confirmata. 48. c. 1. Probatur contra Bossuetium. *ibid.* Post pacem Ecclesiae, Nicolai V. indulgentia schismatici non habiti. 92.-99.

Basileensis Synodus quot mala Ecclesiae attulerit? 2. c. 1. Quum Legati Apostolici absque auctoritate praesedissent, nec vera, nec genuina, nec generalis: Ejus decreta ab Eugenio non approbata. 36. c. 1. Probatur exemplis. 36. c. 2.

Bellarminus (Rob. Card.) explicatus & defensus. 62. c. 1.

S. Bernardi locus explicatus. 189. 204. c. 2.

Bonifacius I. laudatus. 198. c. 1.

Bossuetius quanti faciat Basileensem Synodum. 1. c. 2. Ejus futilia argumenta, quibus Eugenium IV. Decreta Basileensia confirmasse contendit. 48.-50. Argumentum ineluctabile adversus eum. 52. 54. Ejus argumenta futilia 58. 61. Quaestionem Basileensem de translatione adhuc pendere fatetur. 17. c. 2. & *seq.* Turrecrematam male exsibilat. 21. c. 1.

—— Difficultates ab eo promotae. 25. c. 1. solvuntur. 26. c. 1. & *sequ.* Ejus argumenta non valent. 28. c. 1. Confutatus *passim*, & *pag.* 182. *ad finem*.

—— Cum Gallis diversam Ecclesiasticam a Civili Monarchia defendit absque solido fundamento. 126. c. 1.

Bul-

Bulla Retractationis Pii II. Constantiensia decreta, juxta Bossuetium, firmat, posteriora tantum Basileensia damnat; Bossuetius confutatur. 106.-108.

C

S. Caelestini auctoritas in Conc. Ephesino. 37. c. 1. & seq.
Capitibus Listae (Francisci de) Veneti Oratoris testimonium. 27. c. 2.
Capranica (Card. Dominicus) Rebellionis Caput. 13. c. 1.
Censura in Jo: de Montesono. 112. c. 1.
Chalcedonensis Synodi Acta. 9. c. 2.
Collectio testimoniorum Carolo VII. oblatorum a Statibus Linguae Occitanae, ut a schismate caveret. 114-118. Ejus exempla. ibid.
Concilia Constantiense & Basileense Ecclesiae Regimen e Monarchico Aristocraticum constituere conata sunt. 133. & seqq. Sed irrito conatu. ibid.
Concilium Basileense Bononiam, deinde Florentiam translatum. 11. c. 2. & seqq.
Concilium Lemovicense II. 190. c. 1. Nihil adversariis prodest. 191. c. 1.
Concilium Molomense. 182. c. 2.
Constantiensia decreta Sessionis V. quam infesta Ecclesiae paci, ex Conciliabulo Basileensi evincitur. 101-105. Non firmantur per Bullam Retractationis Pii II. 106.-108. Iis nixa sententia ad Fidem non pertinet. 111.
Constantiensibus decretis obest, quod Ecclesiae pars maxima, praesertim Gallica, damnato Basileae Eugenio IV. obedierit. 80. c. 1. Probatur contra Bossuet. 80. & 81.
Corcellaei (Thomae) opinio de Conciliari potestate. 118. c. 2.
Cusani (Nicolai) Epistola ad Rodericum. 82. c. 2.

D

Declarationis Cleri Gallicani Caput III. 120. Explicatur a Bossuetio. 180. & 181.
Decretum Unionis Florentiae editum non conciliatur cum Constantiensibus, & Basileensibus decretis. 62. 63. Sensus aliquot ejus verborum. 64. c. 1. secundum Launoyum, Maimburgum, Nat. Alexandrum. 64. c. 2. & de Marca. 65. c. 1. Verus sensus contra eosdem defenditur. 65. 70. Eorum rationes expenduntur. 71. c. 1. & exsibilantur. 72. c. 2. 80.
Dispensationes Apostolicae, quid de iis sentiendum? 204. c. 2. 205. c. 1.
Dissidia duo Basileensia. 3. c. 1. Dissidium primum. 3. c. 2. Secundum. 29. c. 1. ejus causa in sess. XXV. Graecorum unio. 35. c. 1. 2.
Durandus de S. Porciano laudatus. 115. c. 2.

E

Ecclesiae regimen juxta Adversarios nec Monarchicum, nec Aristocraticum, ut est Imperium Germanicum. 130. c. 1. Hujus hypothesis absurditas. 132. 141. Ejus regimen e Monarchico Aristocraticum Concilia Const. & Basil. convertere conata sunt. 133. & seqq.
Ephesina II. Synodus. 2. c. 2.
Eugenius IV. justis de causis Basileense Conc. dissolvit, & aliud Bononiae celebrandum indicit. 11. c. 2. & pluribus seqq. Cardinalis Julianus iis acquiescit. 12. c. 2. Ejus sensus non ex iis, quae fecit, sed ex liberis actibus eliciendi. 18. et 60. ejus adhaesio nec certa, nec ulla pollet auctoritate. 18. c. 2. Utrumque probatur. 18. & plurib. seqq. Adhaesit quidem, sed non confirmavit ejus decreta, & Constantiensia Constituta. 24. c. 1. & 2. Ejus mens. 24. c. 2. Ejus Libellus, seu Commonitorium.

31. c. 2.

31. c. 1. In eo contenta. *ibid.* frustra a Bossuetio vellicata. 32. c. 1. Queritur de Annatis sublatis a Basileensibus. 33. c. De neglecta Reformatione a Bossuet. accusatus defenditur. 34. c. 1. 2. Decreta Basileensia non approbavit. 36. c. 1. 2. Ejus Libellus Apologeticus a Rainaldo editus. 46. c. 1. Synodum Ferrariam primum, deinde Florentiam legitime transfert. 81. - 84. Ejus Diploma *Doctoris Gentium*. 81. c. 1. Synodum Ferrariam transfert. 50. c. 2. Quo sensu Decretum Basileense approbarit. 51. c. 1. Ejus Bulla *Salvatoris*. *ibid.* altera *Doctoris gentium*. 51. c. 2. Altera Bulla in Concilio Ferrariensi. 53. c. 1. An ejus Decretalis *Moyses* Decreta Basileensia, & Constantiensia firmaverit? 54. c. 2. Minimè. 55. c. 1. Probatur contra Bossuetium. 55.-61. Cujus argumenta futilia. 58. — 61. Ejus exauctoratio per Basileenses PP. schismatica & sacrilega. 88. 89.

Exemtiones Regularium. Vide Privilegia.

F

FElicis V. electio per PP. Basileenses schismatica et sacrilega 90. 92.

Ferrariensis Concilii Decretum I. Sessionis. 51. c. 2.

G

S. GElasius laudatus. 196. c. 2.

Georgius Trapezuntius quid de Unionis Decreto dicat? 70. c. 2.

Glabri (Rodulphi) locus expensus. 184. c. 1.

Grotii (Hugonis) commentum. 124. c. 2.

I

IMperii Germanici Regimen. 13 1. & seq.

S. Innocentius I. laudatus. 197. c. 1.

Investiturae. Vide Privilegium.

Joannis Cremensis Card. egregium testimonium de Sedis Apostolicae auctoritate. 187. c. 2.

Julianus Cardinalis translationem Concilii Basileensis approbat. 12. c. 2.

L

In LAteranensi Synodo Constantiensis Decreta abrogantur. Probatur contra Bossuetium. 108. 2. Ea fuit oecumenica. *ibid.* Pragmaticam sanctionem abrogavit. 109. c. 2.

Legatorum Apostolic. in Conciliis Ephesina, & Chalcedonensi auctoritas. 37. c. 1.

Lentuntii (Jacobi) testimonium. 21. c. 2.

S. Leo Magnus Canonem XXVIII. Chalcedonensem insectatur. 6. c. 1. Ejus auctoritas in eodem Concilio. 38. c. 2. & seq. Ejus Epistola subscripta. 40-42. laudatus. 196. c. 2.

Lignano (Joannes de) citatus. 116. c. 1.

M

MAbillonius (Jo.) laudatus. 186.

Majestas realis penes populum, personalis penes Principem, juxta commentum Grotii & Puffendorfii. 124. c. 2.

Joannis Majoris opinio erronea circa Civilem & Ecclesiasticam potestatem. 125. c. 2.

Mamachii (Thomae) pro legitimo sensu verborum aliquot Decreti Unionis Florentiae editi Disceptatio. 66 — 70.

Marca (Petrus de) laudatus. 37 — 43. 166. c. 1. 184. c, 2.

Monarchiae & Monarchae definitio. 125. c. 2.

Monarchia Civilis utrum diversa ab Ecclesiastica? 124. c. 2.

Monarchiae Ecclesiasticae forma. *a pag.* 121. *ad* 180. a Christo institutam probatur. 129. & 130. Vera esse debet Monarchia. *ibid.* Utrum humanis Legibus circumscripta? 171-180.

Montelono (Joannis de) Propositiones duae censuratae. 112. 113.

Pa-

P

Parisienfis Facultatis articuli adverfus Joannem Sarrazini fub Martino V. 113. c. 2.

Petrus (Ven.) Abbas Cluniac. laudatus. 188. c. 1.

Pii II. Bulla Retractationis. 106. *c.* 1. *& feq.*

Pontifex Concilium Oecumenicum transferre vel dirimere poteft. 11. c. 1.

Pontifices profitentur fe Canones obfervaturos. 155. 164.

Pontificis Romani Principatus utrum verè Monarchicus? 126. c. 1. *& feqq.*

Pontificum Romanorum jus transferendi, vel diffolvendi Synodos Oecumenicas. 5. c. 1. folvuntur objectiones ex Scriptura petitae. 5. c. 2. Et ex Traditione. 6. c. 1. & 2. Confirmatur noftra Affertio exemplis. 8. c. 1.

Pontificum gubernatio, licet certis effet legibus addicta, fumma tamen effe debet. 164. 171.

Pragmatica fanctio abrogata in Concilio Lateranenfi. 109. c. 2. S. Ludovico falsò adfcripta. 191. c. 2. *& feqq.*

Privilegia & Exemtiones Regularibus a Pontiff. conceffae defenduntur. 186. 189.

Privilegium *Inveftiturarum* extortum. 22. c. 1. & 2.

Puffendorfii (Samuel.) commentum. 124. c. 2.

R

Rainaldi (Odorici) opinio: quid ei a Boffuetio refponfum? 24. c. 2.

Regimen Ecclefiae. Vide Ecclefiae regimen. Quale regimen magis congruū Ecclefiae? 138-141. Traditio ftat pro verè Monarchico. 142. Probatur. 142 - 155. Non infringitur ex eo, quod Pontifices profiteantur fe Canones obfervaturos. 155-164.

Regularium Privilegia. Vide Privilegia.

Regum promiffiones an teneant? An ideo Reges non abfoluti? 172. c. 2.

Refcripta Pontificum nō femper exequenda? 177. c. 2. & 178. Si non femper, an hoc Monarchiam Ecclefiafticam Ariftocratia temperatam conftituat? 179. c. 2.

Refpublica Chriftiana quomodo a Chrifto inftituta? 122. c. 2. & 123. c. 1.

Romanae Ecclefiae hodierni fenfus iidem, ac Eugenii IV. & totius Ecclefiae illius tempore. 23. c. 2.

Romanorum Pontificum conftantia in tuendis Ecclefiae Romanae Juribus, 134. *& feqq.*

S

Sarrazini (Jo:) doctrina cenfurata. 113. c. 2.

Sententiā Conftantienfibus nixā decretis ad Fidem non pertinere, probatur contra Boffuet. 111. c. 1. 2.

Sententia Parifienfium non exorta tempore fchifmatis, juxta Boffuetium. 111. c. 2.

Sententia de Conciliari poteftate an Regibus noceat? 118. c. 1. Thomae Corcellaei refponfum. 118. c. 2. Wicleffi propofitio Conftantiae damnata. 119. c. 1. 2.

Spondanus (Henricus) laudatus. 21. c. 1.

Synodus Bituricenfis. 14. c. 1.

Synodus Bafileenfis poft translationem illegitima & fchifmatica. 85 - 87. Qui tunc ei adhaeferunt, eorum nulla habenda eft ratio. 99-101.

Synodus V. non oecumenica, nifi poft Vigilii Papae approbationem. 42. *& feqq.*

Synodus Florentina legitima & oecumenica. 84. c. 1. *& pluribus feqq.* Id fateri etiam a Gallis probatur. 84. 85.

T

S. Theodori Studitae luculentum teftimonium de Pontificis poteftate. 11. c. 1.

Thefes a Parlamento Parifienfi confixae a Fa-

a Facultate Theologica Sorbonensi defensæ. 84. c. 2.
S. Thomas laudatus. 114. c. 1.
Thomassinus laudatus. 167. 168. Frustra a Bossuetio exsibilatus. 169. 194. c. 2.
Traditio stat pro Monarchico regimine Ecclesiae. 142.-155.
Turrecremata defensus. 21. c. 1. Ejus testimonium. 24. c. 1. & 45. c. 2. Ei ne potius, an Eugustino Patricio recentiori historico credendum? 45. c. 2. citatus. 82. c. 1.

V

Vigilius Pontifex. 42. c. 2.

FINIS.



ERRATA	CORRIGE.
Pag. 24. lin. 14. c. 1. Pontifice	Pontifice
ibidem lin. 25. c. 1. Tune	Tu ne
pag. 35. lin. 33. c. 2. & nos	nos
pag. 42. lin. 38. c. 2. Baluxius	Baluzius
pag. 172. lin. 33. c. 1. Oratii	Horatii
pag. 178. lin. 7. c. 1. Papa	Papae

Leviora Lector corriget.